PRO PANEGYRICO S. THOMÆ APOSTOLI

M O N I T U M.

Hic eſt Diſcipulus, & Apoſtolus, cujus vitæ ratio prorſus abeſt a ſuperiore. S. Andreas, de quo verba fecimus credidit ſtatim, Meſſiam ſecutus eſt; cum primum ejus Præcurſor Magnus S. Joannes Baptiſta hunc illi digito monſtravit, eumdem convenit Andreas, ut erudiretur, ejuſque adhæſit diſciplinæ. E contra vero S. Thomas, de quo in præſentiarum verba facturi ſumus, ſtatim ſe lumini rebellem prodidit; etenim poſtquam in Jeſu Chriſti ſchola innutritus fuit, poſtquam triennio divina illius verba audivit, poſtquam teſtis fuit Miraculorum ejus, & ipſe etiam æque ac alii Apoſtoli multa patravit; denique poſt tot præclara divinitatis, ſupremæque poteſtatis Magiſtri ſui documenta, pertinaciter renuit credere illum ſurrexiſſe, aliorum Apoſtolorum teſtimonium rejicit id aſſerentium, ac tandem ſe id nunquam crediturum profitetur, niſi viderit clavorum vulnera, & in perforatum latus ejus ingeſſerit digitum. Ita dici poteſt S. Andream extitiſse animæ docilis, & promptæ ad credendum veritati exemplari; S. vero Thomam pertinacem, incredulum, qui tunc tandem victas dat manus, cum nequit alterius perſpectæ veritati, ac propriorum ſenſuum judicio probatæ adverſari. Verum cum omnia in juſtorum cedant utilitatem; novit Deus in gloriam nominis ſui, & promptam unius credulitatem, & alterius incredulitatem convertere; quandoquidem poſterior ad fidem noſtram ſtatuendam nihil priore minus contulit.

Cum vero iſtic ea tantum colligamus, quæ ad celebrandas D. Thomæ laudes profutura cenſuimus, Orator 1. illius infidelitatem prætermittere non debet, ſed eam lucem afferre iis omnibus conveſtitam circumſtantiis, quæ in Evangelio narrantur: nam præterquamquod abunde reparavit illam; hæc magis magiſque Dei miſericordiam erga hunc oſtendit Apoſtolum. 2. Oſtendere debet, hunc eumdem Apoſtolum ea in re potiſſimum enituiſſe, a qua ſe magis abhorrere ſignificaverat, ſcilicet in Fide Reſurrectionis, quam mordicus impugnaverat, in extremas terrarum plagas ferenda. 3. Prætermittere non debet morales, & naturales, quas hoc ultro illi præbet argumentum, animadverſiones acriter invehendi contra quorundam ſpirituum incredulitatem, qui ea tantum volunt credere, quæ vident, & contra languentem, labantemque fidem plurimorum noſtræ hujus ætatis Fidelium.

P A R A G R A P H U S   P R I M U S.

Varia Sermonum hujus argumenti Syſtemata.

Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Joann. 20.

I. IN uno S. Thomæ exemplo ſimul & incredulitatis vitium, & fidei meritum intuemur. Sancto huic Apoſtolo optime applicari poſſunt hæc Pſal. 138. verba: *ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus;* videlicet tum infidelitatem ejus, tum fidem ſi habita noſtri ratione ſpectentur, nobis æque eſſe poſſe utiles, & ſalutares: ejus quippe incredulitas confert ad fidem noſtram probandam. Pars prima. Fides ejus eſt noſtræ incredulitatis remedium. Pars altera. Apoſtolus incredulus, qui per incredulitatem ſuam nos fideles eſſe docet: Apoſtolus fide plenus, qui per fidei confeſſionem nos incredulos eſſe non ſinit.

Pars Prima. S. Thomæ incredulitas confert ad fidem noſtram probandam. Fidem per ipſam probare infidelitatem, hoc eſt opponere errores, & mala infidelitatis, ſapientiæ, aliiſque fidei bonis. Hoc autem illud eſt, ad quod D. Thomæ incredulitas confert. In hac deprehendimus quatuor mala, quatuor fidei bonis oppoſita: hoc eſt: ſpiritum ſingularitatis oppoſitum univerſali ſpiritui fidei; præoccupationem judicii oppoſitam recto fidei ſpiritui, pertinaciam oppoſitam docili ſpiritui fidei; exigui demum ingenii credentis ea ſolum quæ videt anguſtias oppoſitas ſuperioris fidei ſpiritui.

I. Spiritus ſingularitatis: S. Thomas cum aliis diſcipulis non aderat, cum J. C. ſe ſe illis videndum præbuit octava poſt Reſurrectionem ſuam die; *Non erat cum eis, quando venit Jeſus:* (*Joann.* 20) Ecce vulgatiſſimum incredulitatis principium; ſingularem eſſe velle. Sed ſi in alia quavis re ſingularitas ſuſpicione minime vacat, quomodo vacet, cum igitur de fide, quæ ſacrum eſt vinculum, quo omnes homines in Dei, Dominique ejuſdem cultu ſunt conjungendi? Primum igitur bonum, quod percipimus credentes uti fideles, eſt credere quidquid nobiſcum tota credit Eccleſia.

II. Præoccupatio judicii. D. Thomas ſua præoccupatus ſententia, quin ultra proſpiciat, ſtatim concludit, ſe nunquam crediturum: *non credam*. Alterum incredulitatis principium; ſe ipſos contra fidem præmunire. Vult quidem Deus, ubi de fide agitur, nos quærere, unde erudiamur; ſed etiam vult, ut ſine præventione hoc inſtituamus examen, & ecce alterum fidei bonum, quo ſancta, ſapientique ſimplicitate ab omnibus præjudiciis liberamur.

III. Pertinacia. Omnia ſuadebant D. Thomæ, ut J. C. reſurrectionem crederet, ſed in ſuo ſe errore obfirmavit: inanis in hoc gloria conſtituitur, ne de ſententia dimovear, effectus ſpiritus male compoſiti. Fidelis, quod tertium illius bonum eſt, in ſua docilitate veram invenit virtutem, quæ in eo poſita eſt, ut ſe ſubjiciat atque captivet.

IV. Exigui ingenii anguſtiæ id ſolum credentis, quod videt. S. Thomas dicit, niſi videro ſigna clavorum, quibus J. C. manus perforatæ fuerunt, illum reſurrexiſſe non credam; *niſi videro, non credam*. Quartum incredulitatis principium; de rebus omnibus per ſenſum fertur judicium, quaſi ſatis apti de divinis Myſteriis judices eſſent ſenſus, & non eſſent ſexcentis illuſionibus obnoxii. Sed fides nos ſupra ſenſus extollit, & facit etiam, ut in ipſa Dei penetremus ſecreta: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* (*Joan.* 20.)

Pars altera. D. Thomæ fides eſt noſtræ incredulitatis remedium. Diſtinguamus tres ſtatus, in quibus hujus Apoſtoli fides poteſt conſiderari: primus ille eſt in quo illam palam profeſſus eſt; alter in quo illam apoſtolice prædicavit, tertius, in quo illam Sancte conſummavit. In hoc autem triplici ſtatu Magni hujus Sancti fides ad noſtram auferendam incredulitatem quam maxime confert. 1. Illam palam profeſſus eſt, J. C. Dominum, Deumque ſuum confeſſus eſt. Quia S. Thomas credidit, & ipſi credere debemus; non enim ex animi credidit infirmitate, non levitate, non obſequio, quod aliorum ſententiæ, ac narrationi cæce perſtiterit. Ab his enim animi affectionibus quam longiſſime abhorrebat. Igitur ob ſolam dumtaxat veritatis perſpectæ cognitionem credidit: quis autem non crederet ejus viri teſtimonio, qui victas dare debuit manus ſolis viribus illius veritatis, quam oppugnabat? Ita S. Paulus Judæos proprio vincebat exemplo. Sed D. Thomæ fides argumentum eſt, quod evincit; documentum eſt etiam, quod nos erudit; de quo? de præcipuo Religionis articulo, qui eſt J. C. Divinitas. *Dominus meus*, inquit ille, *Deus meus.* (*Ibidem*) 2. Illam Apoſtolice prædicavit in intimis Indorum plagis, ubi plura centena infidelium millia Evangelio ſubjecit. Hic autem felix Evangelii progreſſus a Patribus ſemper habitus fuit tamquam inviſtiſſimum fidei noſtræ argumentum. Ceterum eaſdem credimus veritates, quas prædicabat; & nos beatos, ſi illas tamquam vitæ noſtræ normam ſecuti fuerimus. 3. Illam ſancte conſummavit per Martyrium. Signavit Sanguine ſuo teſtimonium, quod fidei perhibebat. Quæ pro nobis perſuaſio! Sed ſimul quod documentum? Itane parati ſumus ad fidem noſtram tuendam? Saltem illamne honoramus noſtroque vivendi genere eam ſuſtinemus? *Ex Sermone P. Bourdaloue de S. Thoma.*

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Joann. 20.

II. Dicendum ſane eſt, vulnera, quæ infidelitas ſpiritui, & cordi S. Thomæ intulerat, præalta, ac multo perículoſa fuiſſe; quandoquidem opus fuit tanto ad medendum apparatu, ac Dei ipſius vulnera adhibenda fuerunt ad curationem illorum. Hoc profecto fuit mirum: videre Apoſtolum infidelem factum, inique infidelitate ſua pertinacem adeo, ut eodem ore, quo fidem nunciare debebat, fidem eamdem impugnaret coram illis Apoſtolis, ac profiteretur, ſe nequaquam crediturum, niſi ſuis ipſe oculis videret, ſuiſque digitis tangeret ſigna, quæ clavi in pedibus, manibuſque Salvatoris reliquerunt, & niſi manus ſuas inferret in vulnus, quod lancea in latus ejus aperuerat. Neque minus Caritas ejus languebat, quam fides, neque enim iterum inflammari potuit igne ardenti, qui ex aperto Salvatoris corde prodibat. Ignavia tandem ejuſdem Apoſtoli prorſus erat inexcuſabilis, qua Divinum Magiſtrum ſuum in ejus morte deſeruerat, poſtquam alios ipſe hortatus fuerat, ut illum ſequerentur, & cum vitæ ipſius periculo illum tuerentur: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* (*Joann.* 15.) Verum cum Deus Sancti hujus lapſum ad noſtram dumtaxat eruditionem permiſerit, cumqua infidelitas ejus ad fidem ſuam, noſtramque confirmandam profuerit, ne miremur, quod Apoſtolus miſere ceciderit quandoquidem feliciter adeo reſurrexit; quod fides illius poſt eclypſim hanc vividior fuerit, & poſt nova roboratum virtute ſummo cum fructu reparaverat ignaviam, quam antea præ ſe tulerat.

Ecce paucis quidquid vobis de magno hoc Apoſtolo dicturus ſum, cujus infidelitas magis contulit ad fidei noſtræ firmamentum, S. Gregorius ait, quam reliquorum fides, cujus

caritas extincta, ſed mox iterum in fornace amoris accenſa tot corda potuit inflammare, & cujus infirmitas vi prorſus divina confirmata, quam ille in vulneribus Dei ſui haurit, Chriſtianis omnibus immittere debet fortitudinem ad Hominem Deum cum ipſo vitæ periculo confitendum. Si magna fuit ejus infidelitas; multo major fuit fides per publicam illius confeſſionem, quam ſuo cruore ſignavit; ſi modicus amor eum vituperatione dignum reddidit, mox ardens ejuſdem zelus eum dignum reddidit, admiratione omnium ſæculorum; & ſi turpis fuit lapſus illius, ejus fortitudo eum reparavit, cum factus fuerit unus ex principibus Chriſtianæ Religionis, & ex præclariſſimis ejuſdem propugnatoribus ſuo glorioſo Martyrio. *Hoc eſt argumentum Auctoris Sermonum in omnia &c.*

III. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus:* Pſalm. 138. Lumen ejus tam nitidum fuit, quam profundæ fuerunt ejus tenebræ. Omnia cedunt in bonum illorum, qui Deum amant, & vocati ſunt, ut ſint ſancti, dicit S. Paulus Apoſtolus. Eorum ipſa flagitia, & S. Auguſtinus, qui id propria edoctus experientia didicerat, inquit, ab ordine Providentiæ non aborrent. Talis eſt lapſus, & infidelitas S. Thomæ. Abyſſus eſt peccatorum, quæ invocat gratiarum Domini abyſſum; obſcura nox eſt, quam Dei Filius luminibus lucis ardentioris diſſipat. Hoc eſt; 1. Tenebræ peccati excæcaverunt ſpiritum ejus, ut infidelem redderent. Seſe effuderant in cor illius, ut illum languentem efficerent, ſeque cum illius voce miſcuerant, ut illum in impugnanda veritate pertinacem efficerent &c. 2. Hæ tenebræ eædem ſunt materia primorum triumphorum, quos vulnera J. C. reſurgentis referunt in Eccleſia: vix enim illa tetigit Thomas, cum ſpiritus ejus fit tantum fidelis, quantum incredulus fuerat; cor illius ardens in caritate & vox ad Salvatoris divinitatem confitendam expedita. *Ex Sermonibus Chriſtianis.*

IV. *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris.* Iſa. 2. 1. Hæc Prophetæ mens eſt, & Patrum omnium ſententia, Fideles haurire de vulneribus Salvatoris, tamquam ex vivis fontibus ſalutis gratias omnes, quæ ſunt ipſis neceſſariæ, & ſtatum eorum maxime decent. Sed dicere poſſumus S. Thomam primum fuiſſe, qui majori cum virtute, atque affluentia ſalutares eorum fontium effuſiones exceperit. Chriſti quippe vulnera fuerunt illi 1. fons gratiæ, & miſericordiæ illum ex infidelitatis abyſſo eripiendo. 2. fuerunt fons luminis, & intellectus illum in ſui Apoſtolatus munere deducendo: 3. fons caritatis, ac virtutis, efficiendo ut pro J. C. gloria omnia ſuſciperet, & omnia pateretur. Venite ergo peccatores ad hos fontes gratiæ: venite pœnitentes ad hos fontes luminis: venite juſti ad hos fontes Caritatis. *Ex Speciminibus Panegyricarum Orationum.*

V. In prima Sermonis parte conſiderari poteſt S. Thomas noxiæ infidelitatis reus, atque oſtendi poſſunt præcipuæ cauſſæ, propter quas in tantum incidit ſcelus: 1. Cauſſa prima eſt alios reliquiſſe ſeu ob tædium aliquod, ſeu ob aliam rationem. Hæc imprudentia privavit eum bono videndi J. C. & gratiis quas Salvator aliis contulit Apoſtolis; unde liquet quam periculoſum ſit a bonorum virorum conſortio recedere, ac inſuetas vitæ rationes ſectando eſſe velle ſingularem. 2. Altera cauſſa fuit ejus incredulitas, quæ prohibuit, ne crederet tot teſtibus; effecitque, ut ſententiam ſuam ſententiis aliorum præferret. 3. Quædam fuit præſumptionis, & curioſitatis ſpecies, qua ita obcæcatus fuit, ut auſus ſit Deo medium proponere, quod ſi abeſſet ſe nunquam crediturum profeſſus eſt; hoc autem erat non ſolum videre Magiſtrum ſuum ſuſcitatum, verum etiam attrectare, atque manus in ejus plagas inferre. 4. Quarta denique fuit obſtinatio quædam, qua mordicus reſtitit per octiduum iis omnibus, quæ Apoſtoli ad perſuadendum aptiſſima illi dicere potuerunt.

In parte altera conſiderari poteſt Thomas Divina miſeratione converſus, qui deinceps ſatis crimen ſuum reparavit, 1. fide mirum in modum ſubmiſſa; vix enim Salvatoris vulnera inſpexit, cum exclamavit, Dominus meus, & Deus meus, 2. Fide maxime generoſa: ſubiit enim onus illam remotiſſimis terris, & ſæviſſimis populis non ſine immenſis laboribus prædicandi. 3. Fide maxime conſtanti, atque inconcuſſa, quandoquidem propter illam tuendam mortem ſuſtinuit.

VI. Spiritus Sanctus in Scripturis paſſim graviora ſcelera, abyſſus, & puteos præaltos appellat, in quos peccatores ſeſe præcipites agunt: præſertim vero hoc in numero recenſenda infidelitas eſt; quia fides baſis eſt, & fundamentum virtutum omnium, ſpei vero potiſſimum: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum.* (*Ad Hebr.* 11.) Infidelitas autem, quæ fidem evertit; conſequenter evertit fundamentum, totumque ſpirituale diruit ædificium; efficitque in anima interminabilem abyſſum miſeriarum, atque malorum, qualis illa eſt, in quam S. Thomas ſe ſe conjecit.

Pars prima. Deſcendamus in conſiderationem altitudinis abyſſi hujus per tres gradus, qui tres ſunt circumſtantiæ infidelitatis hujus Apoſtoli. Prima eſt criminoſa ſpiritus ejus imbecillitas: etenim ex tot miraculorum aſpectu, quæ Salvator operatus fuerat, didiciſſe poterat Magiſtri ſui potentiam præter omnes ſuas cogitationes excedere. Secunda eſt ſuperba ſuæ voluntatis obſtinatio; ipſe enim unus per obſtinationem adverſatus eſt ſententiæ Eccleſiæ totius, quæ tunc aderat, atque intolerabili ſuperbia mordicus ſuo adhærens judicio, maluit cæci ſpiritus ſui dubitationes ſequi, quam univerſali fratrum ſuorum conſenſioni parere. Tertia eſt extrema ejus temeritas, quæ ſe ſe prodidit, cum voluit Deo legem irrogare, profeſſus, niſi ille omnino fecerit, quod ipſe vult, videlicet niſi attrectaverit plagas illius, & niſi manus intulerit in latus ejus, ſe non crediturum ejus reſurrectionem. Ecce quo ferri poſſit homo ſibimet traditus; & quinam fuerint gradus, per quos hic Apoſtolus in profundam hanc infidelitatis abyſſum corruerit.

Pars altera. Conſideremus modo infinitam divinæ miſericordiæ abyſſum erga hunc infidelem Apoſtolum. Hæc autem Miſericordia in tribus potiſſimum enituit. 1. In admirabili patientia, qua Salvator infidelem hunc perfert. 2. In hoc, quod amiciſſime illum corripit, ejus indulgens voluntati, eique ſua vulnera oſtendens. 3. In hoc quod hujus criminis exitus in tantam cedit D. Thomæ felicitatem, ut lapſus illius ad id conferat, ut facile reſipiſcat, & nemini Apoſtolorum vel fidelitate, vel zelo concedat. *Ex P. Texier.*

VII. Evangelium nobis exhibet S. Thomam in duplici ſtatu admodum diverſo; illum enim videmus primum velut Apoſtolum, qui fidem amiſit, & in extremam infidelitatis abyſſum cecidit; Sed deinde nobis videtur tanquam rebellis ad officium reverſus, qui Salvatorem propriis conſpiciens oculis pro Domino Deoque ſuo illum agnoſcit: *Dominus meus, & Deus meus!* (*Joann.* 20.) quod locum nobis tribuit duo hæc animadvertendi: primum ſi Apoſtolus in infidelitatem labitur, ad quemcumque virtutis gradum proceſſerimus, nobis ſemper eſſe metuendum, & nunquam viribus noſtris præfidendum: alterum, ſi infidelis ſit immobilis in fide uſque ad mortem pro illa tuenda ſuſtinendam, quamcunque in corruptionis abyſſum inciderimus, nunquam nobis de miſericordia Dei eſſe deſperandum. Abbas *de Montmorel.*

VIII. In hujus argumenti ſermone oſtendi poteſt 1. qua cura, ac ſtudio Salvator S. Thomæ fidem roboraverit; quia poſt reſurrectionem ſuam illius tantummodo cauſſa apparuit; indulſit petitionibus ejus, eumque admonuit, ne poſt adeo manifeſta veritatis argumenta incredulus eſſe velit: 2. qua cura Sanctus Thomas ſuſceperit provinciam tuendæ, latiuſque promovendæ fidei Salvatoris illam indefeſſa ſollicitudine prædicans, ad extremas uſque terrarum plagas eam deferens, ac tandem pro illa propugnanda mortem oppetiens.

P A R A G R A P H U S   II.

Fontes, unde hauriri poteſt copia ad exornandas has Orationum ſtructuras; & Auctores, qui de hoc loquuntur Argumento.

SAnctus Auguſtinus in ſermone tertio in Evangelium Dominicæ poſt Paſcha in hæc verba, *Affer manum tuam, mitte in latus meum*, loquitur de D. Thomæ incredulitate, & admirabili J. C. indulgentia erga hunc Apoſtolum. Sancti Patres.

Idem ſermone 158. teſtatur, S. Thomam inveniſſe fidei firmamentum in attrectandis J. C. vulneribus.

Idem in S. Ioannem, ubi hæc explicat verba: *Dominus meus, & Deus meus.*

Idem in epiſtola 230. Sancti hujus Apoſtoli meritum celebrat.

S. Gregorius homil. 29. in Evangelia latius de hoc loquitur argumento.

Origenes lib. 1. in Celſum, tenet S. Thomam ingeſiſſe digitos ſuos in foramina clavorum, & lanceæ; & hac in re plura ornate, diſerteque perſequitur.

D. Chryſoſtomus homil. 61. in Joannem animadvertit hæreſim Neſtorii ab hoc Apoſtolo in anteceſſum everſam fuiſſe.

Idem tomo 6. homil. 31. eloquenter deſcribit provincias, in quibus ille prædicavit.

Idem homil. 61. Idem tractat argumentum.

Idem homilia 26. in Epiſtola ad Hebræos de illius, aliorumque plurimorum Apoſtolorum tumulo verba facit.

Rufinus lib. 11. cap. 5. de S. Thomæ reliquiis fuſe verba facit.

S. Gregorius Turonenſis, Gl. m. c. 32. loquitur de pluribus miraculis ad S. hujus tumulum peractis.

S. Chryſologus in Sermone 2. in quintam J. C. apparitionem ad Apoſtolos ſuos, cui S. Thomas interfuit, plura habet de hoc Sancto.

Inter Doctoris ejuſdem ſermones Octogeſimus fere totus eſt S. hujus elogium.

In opere imperfecto in S. Matthæum Homil. 2. legimus S. Thomam in Magorum regionem ſe contuliſſe, eorumque opera in prædicatione ſua uſum fuiſſe.

S. Gaudentius Homil. 17. latius perſequitur circumſtantias mortis S. hujus.

Inter opera S. Chryſoſtomi tom. 6. in Sermone 32. D. Thomas magnificis laudibus ornatur.

D. Thomas Scholæ Angelus Sermonem habet de hoc Apoſtolo, ubi ad ejus nomen, quod abyſſum ſignificat, alludens, illum exhibet primo quidem veluti infidelitatis, poſtmodum vero virtutum omnium abyſſum.

Dionyſius Carthuſianus duos habet in laudem hujus Apoſtoli Sermones.

Albertus Magnus in hæc verba, quæ D. Thomæ Salvator ait, *Infer digitum tuum huc, & noli eſſe incredulus*, probat Dominicæ reſurrectionis veritatem.

Guillelmus Pariſienſis in altero, ac tertio Sermone in hujus Apoſtoli laudem, plures memorat peculiares circumſtantias.

Idem Serm. 5. in Evangelium Dominicæ poſt Paſcha ex D. Thomæ converſione fidei noſtræ veritatem confirmat.

S. Laurentius Juſtinianus quoque Sermonem habet de Sancto hoc, ubi inter cetera illum avi deerranti comparat; & loquitur tum de illius infidelitate, cum de illius converſione.

S. Antonius Patavinus in Evangelium diei octavæ poſt Paſcha loquitur de dubitatione, ac infidelitate, ac poſtea de ſincera illius converſione.

Aſcetici aliique.

Pater a Ponte in quinta Meditationum parte de Fidei myſteriis meditatione decima de apparitione Filii Dei ad Apoſtolos coram D. Thoma.

P. Suffren tomo 2. Anni Chriſtiani in praxi pro viceſima prima Decembris die habet compendium vitæ Sancti hujus, & meditationem de Miſericordia Dei erga illum, & alias animadverſiones.

Pater Haineuve in parte prima Meditationum de vita J. C. ad calcem; peculiarem habet meditationem in S. Thomæ feſtum.

P. Bourgoin in veritatibus, & privilegiis Verbi Incarnati meditatione tertia ſupra viceſimam, de Salvatoris apparitione ad Apoſtolos coram D. Thoma.

Nuperi Concionatores.

P. Bourdaloue tomo 1. de Feſtis Sanctorum diebus. Sermone de S. Thoma Apoſtolo.

Biroat inter Panegyricas orationes Sermonem habet de S. hoc, tomo 1.

P. Texier tomo primo Panegyricorum.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in primo Panegyricarum orationum volumine.

In ſpecimine Panegyricorum tomo primo adeſt hujus argumenti ſermo.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Scripturarum ad hoc argumentum.

Thomas unus ex duodecim non erat cum eis, quando venit Jeſus. Joann. 20.

Dixerunt ei alii diſcipuli, vidimus Dominum. Ibidem.

Ille autem dixit eis; niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in latus ejus, non credam. Ibidem.

Jeſus dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Ibidem.

Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Ibidem.

Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt. Ibidem.

Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. Matth. 11.

Eamus & nos, & moriamur cum illo. Joann. 11.

Qui non credit, jam judicatus eſt. Joann. 3.

Arguet mundum de peccato . . . de peccato quidem, quia non crediderunt. Ibid. 16.

Corde creditur ad juſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem, ad Rom. 10.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ad Rom. 11.

Quod audivimus, quod vidimus, quod manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ. 1. Joann. 1.

Fides ſperandarum ſubſtantia rerum, ad Hebr. 11.

Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via? Luc. 24.

Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Joann. 20.

In manibus meis deſcripſi te. Iſa. 49.

Vulneraſti cor meum. Cant. 4.

Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Luc. 22.

Exempla, & figuræ ex Scripturis in hoc Argumentum deprompta.

Salvatoris vulnera apud S. Th. ſimilem habuerunt effectum, ac æneus ſerpens apud Iſraelitas.

Serpens æneus Iſraelitis propoſitus medebatur illis omnibus, qui demorſi fuerant ab ignitis ſerpentibus; & ad curationem recipiendam ſatis erat, ſi vulnera ſua detexiſſent. Ita Dei Filius ſuas oſtendit plagas Apoſtolis, atque S. Thomæ cum peculiaribus circumſtantiis. Cujus incredulitati hanc applicat medicinam eo majori cura, quo magis Apoſtolus idem indigebat. Jubet illum manum inferre in latus ſuum, ac vivificantia vulnera ſua inſpicere, ex lethalibus vulneribus ipſius plane curandum.

Sacer ignis, qui abſconditus fuit in puteo, & in cœnoſam aquam converſus, ac deinde ad ſolis radios accenſus, figura eſt fidei extinctæ, & mox iterum accenſæ in D. Thoma.

D. Thomæ ſinus fuit ſimul & triſtis, & felix, qualis fuit antiquorum ſacerdotum, qui cum tranſmigrationis tempore in præalto puteo ſacrum ignem defodiſſent, ibi invenerunt aquam lutulentam, ac cœnum pro igne, qui in Sanctuario ardere debebat. Sed hæc denſior aqua Solis radiis expoſita converſa eſt in ignem, qui omnem populum maxima affecit lætitia, eumque in ſpem adduxit fore ut Dominus iterum veteri miſericordia uteretur. D. Thomæ fides in imo ipſius corde accenſa tanquam ſacer ignis ibi deliteſcere debebat, & conſervari uſque ad tempus manifeſtationis a Dei Sapientia præſcriptum: Sed hic ignis per hujus Apoſtoli infidelitatem in limum converſus eſt. Pro luce limus hic fœtidam exhalabat mephtim, quæ univerſam Eccleſiam fœtore ſuo inficere poterat: Sed J. C. vulneribus lux adeo fulgida tantuſque calor obortus eſt, ut hæc fides extincta, denſum hoc lutum converſum fuerit in adeo lucidum jubar, ut Apoſtolorum Collegium fuerit admiratione perculſum; *Tempus affuit, quo ſol refulſit, qui prius erat in nubilo, & accenſus eſt ignis ita ut omnes mirarentur.* (2. Mach. 1.)

S. Thomas, cujus nomen abyſſum ſignificat, cum nihili abyſſo comparatur.

Cum Thomæ nomen abyſſum ſignificet, uti Scholæ Angelus tradit in Sermone; quem in hujus Apoſtoli laudem elucubratus eſt, Thomæ cum abyſſo nihili, unde creaturas omnes eduxit Deus, poteſt comparari. In Creatione tenebræ totam abyſſi faciem cooperiebant, & S. Thomas vix veritatem Reſurrectionis Magiſtri ſui negavit, cum infidelitatis tenebræ ſpiritum ejus operuerunt; locutus eſt Deus tenebris abyſſi, ut inde lucem eliceret: *Fiat lux*, & ut D. Thomæ redderet lumen fidei, quod per ſuam pertinaciam amiſerat, Dei Filius dixit illi, infer huc digitum tuum, & vide manus meas, infer manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Lumen quod ex priori abyſſo eduxit Deus, duas diverſas habebat operationes; illuminabat eamdem abyſſum, unde elicitum fuerat, & lucem afferebat creaturis aliis, quibus pro duce, ſimul, ac face prælucebat. Tale eſt lumen Fidei, quam Dei Filius in D. Thomæ Spiritum infudit, & illum, & univerſam illuſtrat Eccleſiam. Vix Thomas plagarum Jeſu attrectatione lumen accepit, cum ſuam execrans infidelitatem, illius reſurrectionem fatetur, & confeſſione duplici profitetur illum & Dominum, & Deum ſuum eſſe; videlicet Deum, hominemque ſimul in unitate perſonæ: *Dominus meus, & Deus meus!*

S. Thomas S. Jo: Baptiſtæ comparatus, & in quo?

S. Thomas inter fideles eſt, quod S. Joannes Baptiſta inter Prophetas. Hi Meſſiam portenderunt, ſed non viderunt: quæ duo bona uni Joanni Baptiſtæ reſervabantur. Hic Propheta fuit, & plus quam Propheta, vel Prophetarum omnium feliciſſimus. Vidit ſimul, & prophetavit. Prædixit oſtenditque digito Agnum ſine macula, qui tollit peccata mundi. Hoc ipſum de S. Thoma erga omnes fideles dici poteſt. Hi quidem beati ſunt, quia J. C. cognoſcunt per fidem: *Hæc eſt vita æterna: ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum;* Hi in eum credunt; ſed minime vident, non niſi in cælo illum viſuri. S. Thomas beatior eſt, cum videt, credit digitoque ſimul attrectat.

Omnia Sacra Dominici corporis membra mirabiles habuerunt effectus in corpora, & animas; ſed præſertim propter D. Thomam.

Neſcio utrum hæc una ſit ex piis illis cogitationibus, quæ occurrunt nonnunquam piorum hominum mentibus, aſſerere omnia adorabilis Salvatoris membra de peccato, vel de morte triumphaſſe, ſingula per vicem: Sed liquido conſtat viſa eſſe prodigia gratiarum, quas variis in occaſionibus operata ſunt. Viſa eſt Magdalena ad pedes ejus effuſa ſcelerum ſuorum veniam recipere; omnipotentes manus illius exanime corpus attrectantes illud revocarunt ad vitam virtute quadam vivificante, quæ illis adhæreſcere videbatur. Cor ejus, ſuper quo dilectus requievit Diſcipulus S. Joannes, illi inſpiravit ſenſus ſublimes diviniſſimæ Caritatis; ac totum denique corpus hujus Hominis Dei factum eſt gratiarum, virtutiſque inſtrumentum mulieri, quæ tetigit dumtaxat fimbriam veſtimenti ejus viva fide. Sed dicamne pedes, manuſque ejus perforatos, latus apertum, & totum corpus ejus a morte ſuſcitatum ſimul retuliſſe triumphum de S. Thoma Apoſtolo, pertinacem illius infidelitatem in fidem, quæ deinde fuit inconcuſſa, convertens.

Pavor, quem D. Thomas accepit videndi Salvatorem, qui reſurrexerat, & vulnera ejus tractandi, major videtur illo, quem S. Stephanus recipit videndi J. C. ad dexterã Patris.

S. Stephanus cumulatus fuit præſtantiſſimis muneribus gratiarum, virtutis, ac ſcientiæ, qua Judæos confudit; verum etiam cæleſtis viſionis munus illi obtigit, in qua vidit J. C. ad dexteram Patris. Sancti hujus Levitæ virtus amorem ejus geminavit erga perſecutores ſuos. Deſiderio poſſidendi id, quod videbat, nova facta eſt acceſſio. Objectum quod vidit, & nondum poſſidebat, illum intrinſecus transformavit eouſque ut in faciem ejus reſilirent radii, qui illum æque nitidum reddidere, ac Angeli faciem. Si hic intuitus tantos in S. Stephano peperit effectus, S. Thomas, qui viſioni addidit tactum ſacratiſſimorum J. C. vulnerum, nonne ſenſit novum ardorem in fide, in caritate, & fortitudine?

S. Thomæ converſio ab altera quapiam diſſimilis.

Apoſtoli Thomæ converſio longe alia eſt ab aliorum Apoſtolorum converſione; & modo, quo Dei Filius alios peccatores ad ſe pertraxit. Alias Jeſus Chriſtus adhibuit faciei ſuæ radios, ut Magdalenam illuminaret, transverberavit cor illius jaculo amoris ſui, dicit Eccleſia; *Currit amore ſaucia.* (Luc. 22.) Oculorum ſuorum ictu uſus eſt, ut S. Petrum converteret: *Converſus reſpexit Petrum.* Duo, vel tria verba ex ore ejus emiſſa ſatis fuere ut Matthæum a telonio divellerent: *Veni ſequere me.* (Matth. 9.) Vocem ſuam ſimul cum luminibus adhibuit ad S. Paulum evertendum ſimul, & convertendum: ſed adorabiles adhibet plagas ſuas, præſertim vero illam cordis ſui; ut Thomam convertat. Hæc vulnera patentes ſunt cataractæ, unde gratiarum torrens emanat ad peccatorem hunc inundandum; *Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum.* (Pſalm. 41.) Vel plagæ iſtæ ora ſunt eloquentia, quibus utitur ad infidelem hunc revocandum, & convertendum: *Abyſſus dedit vocem ſuam.* (Habacuc 3.) Nullus unquam peccator oppugnatus, expugnatuſque fuit præſtantioribus armis; etenim Jeſus Chriſtus non vulnera tantum ſua adhibet, ſed etiam cor, quandoquidem illum cordis ſui tactu convertit; *Mitte manum tuam in latus meum.* (Joann. 20.)

Non deſunt nobis inſignium peccatorum exempla, qui deinde

inde per Domini miſericordiam facti ſunt ſanctitate præſtantes: Deus enim, qui novit lucem ex tenebris proferre, bona etiam ex ipſo haurit malo, efficitque ut omnia Sanctorum acta in eorum gloriam cedant. Ita Spiritus ſanctus verba facit de Davide adultero, & Davide pœnitente; nobis oſtendit Saulum perſequentem, & Paulum vas electionis; nobis exhibet Magdalenam peccatricem. & Magdalenam converſam. Ita etiam nobis proponit Thomam incredulum, & Thomam illuſtratum, ac zelo ſuccenſum, ut remotiſſimas adeat terrarum plagas ibi fidem prædicaturus.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

D. Thomas conſiderari poteſt in tenebris infidelitatis, & in lumine vivæ fidei.

Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Pſalm. 138. Hæc divinæ eſſentiæ proprietas eſt, quam Rex Propheta animadvertit, & quam in elogii argumentum convertere voluit, cum dixit, tenebras, in quibus Deus ſeſe noſtris oculis aufert, & quæ illum nobis in hac vita abſcondunt non minus admirabiles eſſe, quam ipſum illius lumen, & quidquid fulgoris, ac lucis in admirabilibus ejus perfectionibus deprehendimus, non eſſe illi glorioſius, neque nobis venerabilius, quam quidquid nobis apparet nubibus involutum, ac velo myſticæ obſcuritatis celatum. Ita enim S. Ambroſius hunc Pſalmi 158. locum explicuit: Lumen ejus ſicut tenebræ ipſius, & tenebræ illius quiddam habent æque divinum ac lumen ejus. Per vos mihi liceat, Fideles, quin neceſſarium excedamus modum, & velimus aliqua ratione creaturam cum creatore comparare, hæc verba applicare S. Thomæ Apoſtolo, cujus vita, & exemplum nobis ad imitandum debet eſſe propoſitum. Evangelium illum nobis exhibet duplici in ſtatu longe oppoſito, nempe in tenebris infidelitatis, & in vitæ, ardentiſque fidei ſplendoribus. In tenebris infidelitatis, cum dubitat de Jeſu Chriſti reſurrectione, eamque credere detrectat: In fidei vivæ, ardentiſque ſplendoribus, cum omnino de hac Reſurrectione certus Jeſum Chriſtum Dominum, Deumque ſuum confitetur.

Præoccupatio, qualem hodierna die habent fortes ſpiritus cauſſa fuit, ut D. Thomas laberetur.

Niſi videro, non credam. Joann. 20. S. Thomas non ſolum receſſit ab Apoſtolis; ſed eo in dubio in quo de Magiſtri ſui reſurrectione ambigebat, ſeipſum præoccupat, ac ſtatim concludit ſe nunquam crediturum: *Non credam.* Quæ erat illi cauſſa, ut ita profiteretur? Non aliud, S. Chryſoſtomus ait, quam cæca præoccupatio, quæ in hanc illum impulit ſententiam, quin exploratam haberet rationem, & quæ illum coegit eam negare veritatem, quin antea illam cognoſcere vellet. Quot ſunt infideli hoc ſæculo, quo vivimus, aſſerti ſpiritus fortes, quorum argumentatio de articulis Religionis ſæpe ad hoc redit S. Thomæ verbum: *Non credam?* Nunquam penetrarunt difficultatem harum quæſtionum de fide, & vix illam concipiunt. Quin diligenter illi cognoſcendæ navaverint operam, ſæpe fatentur ad ipſos hæc non pertinere; nullam habent in oppoſitum demonſtrationem, & nihilominus non minus audacter dicunt: *Non credam.* Aliquid ne ultra ad illos confundendos requiritur? Illud vero eos prorſus inexcuſabiles reddit coram Deo, quod rebus in reliquis fortaſſe dociles ſe præbebunt. Alicui hujus viæ viro proponite opiniones maxime a veri ſpecie diſſentientes recentioris Philoſophiæ, quæ plures jactitat ſectatores; narrate huic communem ſententiam aliquam cum novitatis aura expoſitam, vobis attentas præbebit aures, ſine ulla mentis præoccupatione; ſed loquimini ad eum de quadam fidei veritate, videtur ipſi ſibi cavendum a Deo, ac jure in ſuſpicionem teſtimonium illius eſſe vocandum. Verum hac in re debet ille ſtatim ea credere, quæ Scriptura reprobum ſenſum appellat? Haud ita Fideles: attendite ſi vobis lubet quod dico. Dei intentio non eſt, quod cæce, & ſine ulla intentione in omnia fidei genera ruamus; ſed vult, & jure, a nobis ſingula ſine ulla præventione probari, ut inquit Apoſtolus: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* (1. ad Theſſalon. c. 5.)

Noſmet exiſtimare debemus S. Thoma beatiores, quia credimus quin viderimus: & nobis de ſorte noſtra conquerendum non eſt.

Beati qui non viderunt, & crediderunt. Joann. 20. Gratias agamus Deo, & ſingularis beneficii loco habeamus, quod habere poſſumus meritum non videndi, & credendi, quandoquidem Jeſus Chriſtus ſignificat, nos in hoc quoque eſſe beatos. Ne cæci ſimus huc uſque, ut doleamus, ut nobis infortunio tribuamus, quod ille nobis vertit felicitati. Cupiamus fidem noſtram copioſiorem eſſe, operoſiorem, ferventiorem, ſed ne cupiamus eſſe apertiorem. Petamus a Deo, non quod illa fulgidior ſit, ſed ut nos magis diſpoſiti ſimus ad lucem recipiendam per illam, & ut illa nos moveat, ſanctificet, convertat. Præſertim vero ne incidamus in vitium inſipientium illorum, de quibus loquitur S. Judas, qui poſtquam corruperunt quæcumque ſciunt, damnant quæcumque ignorant, abutentes & iis quæ vident, & iis quæ minime vident. Satis multos ipſi videmus ita ut dubitandum nobis non ſit, Deum eſſe, cui nobis eſt obſequendum, ac nimis multos videmus ut in caput noſtrum omnem illius ultionem convertamus, niſi illi obtemperaverimus. Redeo ad graviſſimum illud monitum, quod J.C. tradidit D. Thomæ, & ego vobis trado: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* (Joan. 20.) Noſmet ab incredulitatis erroribus caveamus, fidei nos ſubjiciendo. Fideles ſimus, ut tales ſimus ſpiritu, & corde: ſpiritu quidem noſmet præbentes dociles fidei veritatibus; corde autem ardenti zelo fidei ſuccenſi. Præſertim vero vita noſtra a fide non diſcrepet, & fidem noſtram vita ipſa honoremus. Fides norma ſit omnium actionum noſtrarum; fides ſit omnium cupiditatum noſtrarum remedium; fides ſit omnium conſiliorum noſtrorum principium.

Salvatoris vulnera: D. Thom corpore alia vulnera pepererunt

Caritate vulnerata ſum. Cant. 4. Locus hic, qui aliter in Vulgata legitur, ad glorioſum D. Thomam transferri poteſt dicendo, Salvatoris vulnera virtute quadam ſingulari alia huic Apoſtolo attuliſſe; illud vero potiſſimum cordis Jeſu Chriſto vulnus in corde S. Thomæ aperuiſſe, illi immittens amorem ardentiorem erga Salvatorem, & Deum ſuum. Ad hoc autem non minimum contulit admirabilis Filii Dei indulgentia, qua illum propriis ipſius verbis corripuit. Etenim quemadmodum S. Auguſtinus animadvertit, illum Jeſus minime exprobravit, ut confunderet; ſed cordis ſui vulnus fuit os eloquentiſſimum, quod ex magni illius Doctoris ſententia in imo corde locutum fuit, ac effecit, ut ſibi audire hæc videretur: *Occiſus ſum propter te; per locum, quem vis tangere, ſanguinem fudi, ut redimerem te, & adhuc dubitas de me, niſi tetigeris me. Ecce, & hoc præſto, tange, & crede; inveni locum vulneris, ſana vulnus dubitationis.* Pro tui amore paſſus ſum mortem, reliquum ſanguinis mei effudi per vulnus illud, quod vis attrectare; & potes adhuc dubitare, & inſigni impudentia profiteri, te niſi tetigeris non crediturum? Et hoc ipſum tibi permitto, tange me, ac tandem crede propriis ſenſibus rei veritate perſpecta; quære locum vulneris mei, & vulnus tuum ſana. Heu! Hoc ſatis fuit, ut Apoſtolus dolore ac verecundia contabeſceret; non tantus requirebatur ignis ut fax hæc extincta rurſus flammam corriperet, eumque prorſus divina caritate inflammaret. Itaque conceptum ardorem retinere non poteſt, ac ſinens cor ſuum illuc ferri, quo a ſpiritu illuſtrato rapiebatur, exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus!* Indignus eſſem ea gratia, quam mihi confers, ſi tu cor tuum apertum mihi oſtendens, meum tibi non aperirem; & ſi probata mihi amoris tui magnitudine æque ac reſurrectionis tuæ veritate, zeli mei ardor non reſponderet luminibus, quæ in ſpiritum meum effundis: Amoris mei menſura in poſterum eadem erit ac fidei meæ; nemo veritatem hanc magis cognovit, quam ego: Nemo te magis amabit, quam ego.

Quomodo S. Thomas de abyſſo infidelitatis in miſericordiæ Domini abyſſum trãſierit.

Abyſſus abyſſum invocat. Pſalm. 1. D. Thomas Aquinas in ſermone quodam, quem in hujus Apoſtoli honorem conſcripſit, dicit Thomam in ſancto idiomate ſignificare abyſſum, & nos ad hunc Apoſtolum transferre in converſione ipſius hæc Prophetæ verba: *Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum.* Profundam infidelitatis abyſſus, in quam hic Apoſtolus cecidit, invocat, hoc eſt petit auxilium magnæ abyſſi Miſericordiæ magiſtri ſui, qui per vulnera ſua tanquam hiatus & cataractas emanare facit hoc ſanguinis diluvium, quod mundum univerſum abluit, & D. Thomæ plagas curavit; vel ut idem Angelicus Doctor inquit: Hic Apoſtolus feliciter egreſſus eſt de abyſſo erroris ſui ingreſſurus in abyſſum fidei, caritatis, ceterarumque virtutum; unde vocem ſuam extulit, ut exaudiretur ab omnibus peccatoribus, qui in malorum abyſſum lapſi ſunt; illis nunquam eſſe deſperandum; nulla enim tanta ſunt crimina, ex quibus divina adjuti miſericordia nequeant emergere. Quia ex D. Pauli ſententia: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: & ut S. Auguſtinus ait, *etiam peccata.* Deſcendamus ad hujus abyſſi profunditatem conſiderandam per tres gradus, quæ ſunt tres circumſtantiæ infidelitatis S. Thomæ: quarum prima eſt, noxia ſpiritus ejus infirmitas; altera, voluntatis obſtinata ſuperbia; tertia, temeritas imponendi leges ac normam ipſi Deo.

Permiſit Deus, ut hic Apoſtolus in incredulitatem laberetur, ut veritate perſpecta poſſet alios in fide confirmare.

Tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Luc. 22. Verba hæc Mundi Redemptor S. Petro dixit, ſignificaturus, illi aliquando confirmandos eſſe fidei ſuæ firmitate fratres ſuos, poſtquam illis ſcandalum dederit lapſu ſuo; & Apoſtolum hunc, qui turpiter adeo illum erat negaturus ad vocem ſimplicis ancillæ, electum fuiſſe, ut in ſua ac ſucceſſorum ſuorum perſona eſſet viſibile caput Eccleſiæ ſuæ in terris, atque cuſtos clavium, quibus Regni cælorum janua clauditur, & aperitur. Facile eſt videre, verba hæc D. Thomæ quadrare; nemo enim ignorat Apoſtolum hunc peculiariter deſtinatum fuiſſe ad fideles omnes confirmandos in ejus myſterii fide, quod Religionis fundamentum eſt, poſtquam per ſummam incredulitatis pertinaciam illud credere detrectaverit, & Jeſum Chriſtum non permiſiſſe, ut ille in infidelitatem laberetur, niſi ut locum haberet eum curandi teſtimonio adeo manifeſto, ut loco probationis eſſe poſſet fidelium ſæculorum futurorum. Huic ergo Apoſtolo dixit Jeſus Chriſtus: Poſt Converſionem tuam, *tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Hic Apoſtolus per confeſſionem ſuam ſcandalum reparavit, quod per ſuam præbuerat incredulitatẽ.

Dominus meus, & Deus meus. Hæc fidei confeſſio non ne abunde reparat ſcandalum, quod hujus Apoſtoli infidelitas deperierat? Audeo dicere, hanc nulla in re illi cedere, quam fecit Princeps Apoſtolorum, cum palam profeſſus eſt, Jeſum Chriſtum a ſe haberi Filium Dei vivi. Si enim S. Petrus Jeſum Chriſtum attollit ſupra maxime ſublimes Spiritus, eum Æterno Patri parem faciens: *Tu es Chriſtus Filius Dei Dei vivi*, S. Thomas nequaquam in deteriori gradu illum conſtituit, illum Dominum & Deum ſuum nominans, qui duo ſunt auguſtiſſimi tituli, quorum alter illius potentiam, alter vero naturam, & magnitudinem ſignificant.

Præſtantia fidei Sancti Thomæ.

Dominus meus, & Deus meus! Fides per os hujus Apoſtoli loquitur, quæ eo præſtantior videtur, quo ille ad credendum ſe præbuit difficiliorem. Si deliquit, non credens continuo, noxam emendavit egregia fidei confeſſione a ſe edita: hic enim primus eſt, qui palam aperteque confeſſus fuerit Jeſum Chriſtum verum Deum, & verum hominem eſſe:

Dominus meus, & Deus meus. Deus meus es tu; neque enim alius præter Deum ſe ipſum propria vi poteſt reſuſcitare: & Dominus meus, quia Salvator meus es, qui ſacratiſſimis vulneribus tuis me redemiſti, Deus ſolus mori non poterat, homo merus non poterat mea perſolvere debita: tu ergo ſimul es verus Deus, & verus homo: quandoquidem mortuus es, ut mihi libertatem cum vita redderes; alterum video, alterum credo. Credo te Deum eſſe, quia video micare vulnera in corpore hominis ab inferis ſuſcitati. Pretioſa hæc vulnera, cor hoc apertum, manuſque terebratæ mihi ſunt luminum fontes, quæ meam illuminant cæcitatem, mihique aperiunt infinitum amorem naturæ ſuæ divinæ ſub humanitatis noſtræ velamine abſconditum. *P. Novet in glorioſa vita J.C. in terris*.

Amor J.C. erga S. Thomam, & Eccleſiam.

Dixerat S. Thomas; *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manus meas in latus ejus, non credam*; ſed quocunque conſilio ſe ipſum obfirmet contra fidem, novit Deus qua aggredi debeat cor hominis, ut illud ſubjiciat. Sinens hoc pacto Apoſtolum labi, nobis oſtendere voluit, eos, quibuſcum ſibi magna erat neceſſitudo, non crediſſe Reſurrectionem, niſi poſtquam ad id adacti fuerunt argumentorum perſpicuitate, ac certiſſimorum teſtimoniorum fide; Hunc aliquantiſper Apoſtolum in hac rebellione reliquit, quia conſilium erat eidem utendi eo ad ejuſdem humilitatem, ad gratiæ ſuæ gloriam, & incredulorum converſionem. Tantum pro D. Thoma fecit, quantum pro reliquis Apoſtolis. Quis non admirabitur Salvatoris bonitatem, qui nihil imminuit de gratia, quam aliis fecit illam pro hoc uno faciens, & qui ex hujus abſentia arripit occaſionem illos ſecunda vice honorandi, & conſolandi viſitatione ſua? Admiremur ergo caritatem, ſuavitatem, & curam Paſtoris boni in nutanti hoc Diſcipulo roborando; ſed admiremur ſimul cordis elevationem, & confeſſionem fidei brevem, celerem, ardentem atque perfectam; Nonne hæc illa eſt, quam in ſingula momenta debemus elicere? S. Thomas poſtremus eſt ad credendum, ſed primus eſt ad divinitatem Jeſu Chriſti poſt illius mortem confitendam; videt humanitatem, & confitetur divinitatem; aperit oculos ad miracula, ibique invenit probationem Dei facti hominis, eique dicit: ut vere Dominus es animæ meæ, quandoquidem illam humanitatis tuæ ſacrificio redemiſti; ſed tu es Deus meus, quia es ſanctificatio animæ meæ per gratiam, & ſpiritum tuum. Tu illius bonum es, æternaque ejus beatitudo per gloriam tuam.

Fides noſtra aliquatenus excedit S. Thomæ fidem, quia credimus, quin viderimus.

Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Licet gratia, qua cumulatus fuit hic Apoſtolus, fuerit ſingularis, audeo dicere noſtram felicitatem cum ſua decertare poſſe, ac fidem noſtram jactare poſſe nonnihil boni, quod fidei S. Thomæ defuit. Hoc ipſe Dei filius affirmat. Audite ejus verba: *Quia vidiſti &c.* Credis quia vidiſti, & quia oculorum tuorum teſtimonium nequis reſpuere: ſed illi ne, quibus hoc non contigit, numquid deterioris erunt conditionis? Non profecto, quia majus eſt fidei ipſorum meritum, quod illis loco erit majoris gratiæ: *Beati qui non &c.* Beati qui credunt, quin viderint, quia quomodo S. Pater reſpondet, videbunt apertius aliquando, & quod merces fidei reſervata eſt perſpicua viſio objectorum, quæ crediderunt. Principium noſtræ felicitatis eſt hanc fidem evocari: ſed ideo illam meremur, quia cæce noſmet eidem ſubjicimus. At ideo ubi ſemel noſmet eidem ſubjicimus, exinde omnis argumentatio, ſubtilitas, perſpicacitas mentis, curioſitas, omnia fidei ſacrificanda ſunt. Illam recipere, S. Chryſoſtomus ait, eſt agere ſolum per illam, quin ratiocinemur; eſt illam ſtatuere normam noſtrarum cogitationum, & vitæ; eſt ſenſus mendacii coarguere, propria cohibere lumina, ignorantiam ſuam fateri, Dei revereri auctoritatem celerrima, maximeque cæca, & univerſali, quæ fingi poſſit, ſubmiſſione: alioquin quodnam meritum hæc fides haberet, ut ſupremo bono ſibi fruendum eſſe contenderet?

S. hic nubibus circum euntibus comparatur.

Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant; & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas! Iſajæ 60. Iſaias Propheta Apoſtolos veluti nubes repræſentat per univerſum terrarum orbem volantes, vel tanquam columbas ad feneſtram ſtantes. Quorum ſymbolorum primum glorioſus iſte Apoſtolus adimplevit ſuis Apoſtolicis curſibus; fuit enim veluti fecunda nubes, quæ gratiæ, ac benedictionis pluvias pluribus gentibus attulit; & conſtat hinc, ex omnibus Apoſtolis in penitiores Aſiæ partes penetraſſe, ac plures regiones peragraſſe. Quibus addi poteſt ad probandum columbæ ſymbolum, quod Iſaias, & ipſe etiam Dei Filius tradit Apoſtolis exigens, ut ſint prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: ad probandam inquam hujus ſymboli aptitudinem addi poteſt, S. Thomam inter has columbas non extremum locum obtinuiſſe, etenim in Crucis vertice appingitur illi columba, quemadmodum Cardinalis Baronius animadvertit, ſed Magiſtri ſui præceptum fuerat oblitus. Non erat ſatis ſimplex, quia nimis ſapiens eſſe voluit. Hæc fuit erroris ſui cauſſa, qui prope fuit, ut illum in dæmonis retia perduceret: verum cum feliciter nactus fuerit perfugium ſibi in Jeſu Chriſti vulneribus, columbæ inſtar in foramina petræ conceſſit, ut ibi in tuto lateret, ac per otium gemeret crimen ſuum cum ſincero dolore confeſſus. *Ex P. Novet in Meditationibus de glorioſa Salvatoris vita ſuper terram*.

Loci hujus applicatio ad Gentiles, qui crediderunt quin viderint.

Beati, qui non viderunt, & crediderunt. *Joann.* 20 Tu, Domine, dixiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt! Verba tua nonne ſunt manifeſtum vaticinium, ex S. Auguſtini ſententia, vocationis Gentilium ad fidem? Quippe crediderunt in te, quin ſicut infidelis Apoſtolus peterent, ut ſibi liceret divinas plagas inſpicere. (*Petri* 8.) Ad Gentiles ergo princeps Apoſtolorum dicebat: Jeſum Chriſtum non vidiſtis, & illum diligitis: nondum videtis illum, & nihilo ſecius in illum creditis; & fides veſtra efficit, ut exultetis lætitia ineffabili, & gloriæ plena, & fructus, quem inde referetis erit ſalus animarum veſtrarum. Nunc, Fratres mei, S. Gregorius inquit, ſumus ex numero horum Beatorum, quorum fides a Jeſu Chriſto cum S. Thoma loquente prædicta fuit; dummodo tamen actiones noſtræ conformes inveniantur fidei noſtræ quemadmodum S. Thomas ab infidelitate curatus Apoſtolicos actus ſuos ad fidei ſuæ præſtantiam compoſuit: ille enim vere credit, qui vitam ſuam ad ſuæ fidei normam componit. Sed illi, S. Paulus ait, qui profitentes ſe Deum cognoſcere illum factis negant, nequaquam beati erunt propter eam fidem, quam Scriptura mortuam appellat, quia ab operibus ſejuncta eſt.

Omnipotens Deus, qui ſuſcitaſti fidem D. Thomæ Apoſtoli tui, in nobis idem operare miraculum infinito tuæ bonitatis effectu: Anima fidem noſtram ſicut illam magni hujus Apoſtoli, ut cum veritate exclamare poſſimus: *Dominus meus, & Deus meus*! Ille in extremas uſque terrarum plagas ſe contulit eo perlaturus fidem, quam illi reddidiſti, atque tua ipſi gratia favente præclarum honorem eſt aſſecutus eam ſignandi ſanguine ſuo; per S. hujus Apoſtoli interceſſionem nobis quoque largire fidem ita vividam, ut non ſolum ope illius propter te vivamus, ſed pares etiam nos efficiat, qui moriamur pro te.

Dominus meus, & Deus meus. *Joann.* 20, Verba hæc, ſi rite intelligantur, præcipua fidei noſtræ myſteria complectuntur, nobiſque quidquid in Jeſu Chriſto humilitatis, & dignitatis eſt, aperiunt. Sane D. Thomæ confeſſio nihil cedere mihi videtur confeſſioni S. Petri, cum cæleſti lumine afflatus illud protulit oraculum, quod ei Eccleſiæ principatum promeruit: *Tu es Chriſtus Filius Dei*. Etenim ſi hoc attollit J.C. ſuper homines, & Angelos, ſi illud Deo Patri parem facit, & ſi nos docet ſe illius Filium eſſe æque ac ſervum; mihi videtur D. Thomas eaſdem nobis aperire veritates, nobis explicare omnia Incarnationis ſecreta, ac ſe ipſum attollens per fidem uſque ad ſinum Patris Æterni, videri Jeſum Chriſtum hominem, & credere Jeſum Chriſtum Deum; nam ut opportune S. Gregorius animadvertit, hic Apoſtolus aliud videt, & aliud credit; tangit humanitatem, adorat divinitatem, & conjungens in ſua confeſſione duas naturas adeo longe remotas, mirum in modum nobis exprimit Incarnationis myſterium, quod nihil aliud eſt quam naturæ divinæ conjunctio cum humanitate Verbi perſona: *aliud vidit, aliud credidit, vidit hominem intellexit Deum*. Vidit carnem, quam adhuc in ſepulcro clauſam credebat, & illi perſuaſum fuit de Reſurrectione; ſed credidit divinitatem, quam non videbat, & perhibuit publicum fidei ſuæ teſtimonium, cum ait! *Dominus meus, & Deus meus*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

D*Iligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* ait Apoſtolus: *Omnia etiam peccata* ſubdit S. Auguſtinus.

Ecce iterum venit Dominus, ne periret diſcipulus. Idem.

Magnus de Cælo deſcendit Medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus. Idem.

Fides eſt ſanitas mentis. Idem.

Sic perdidiſti in triduo memoriam Magiſtri, Thoma, ut non crederes omnipotentiæ Chriſti? Idem ſermone 159. de Tempore.

Fides eſt humilium, non ſuperborum. Idem ſermone de Quadrag.

Numquid caſu geſtum creditis, ut electus ille diſcipulus tunc deeſſet, poſt autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc caſu, ſed divina diſpenſatione geſtum eſt. S. Gregorius Homil. 25 in Evangel.

Egit miro modo ſuperna clementia, ut diſcipulus ille dubitans, dum in Magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis ſanaret vulnera infidelitatis. Idem ibidem.

Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium Apoſtolorum profuit. Idem ibidem.

Dum ille Apoſtolus ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſita in fide ſolidatur. Idem ibidem.

Sic Diſcipulum Dominus poſt reſurrectionem ſuam dubitare permiſit, nec tamen in dubitatione deſeruit. Idem ibidem.

Dum vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur, quia vidiſti me, credidiſti? ſed aliud vidit, aliud credidit: a mortali quippe homine divinitas videri non potuit: hominem ergo vidit, & Deum confeſſus eſt, dicens: Dominus meus, & Deus *meus*. Idem ibidem.

Beati, qui non viderunt, & crediderunt, in hac ſententia nos ſpecialiter ſignati ſumus, qui eum, quem carne non videmus, mente retinemus?

Occiſus ſum propter te: (ait Chriſtus Thomæ) *per locum, quem vis tangere, ſanguinem fudi, ut redimerem te, & adhuc dubitas de me, niſi tetigeris me: ecce, & hoc præſto: tange, & crede; inveni locum vulneris, ſana vulnus dubitationis* S. Auguſtinus.

Effuderunt hæc vulnera te aperiente fidem, quæ aquam in lavacrum,

crum, & ſanguinem in animarum pretium effuderunt. S. Chryſologus Serm. 84.

Si vulnera iſta cum aliis abolita fuiſſent, quod fidei tuæ periculum iſta curioſitas peperiſſet. Idem ibidem.

Chriſtus poſuit Thomam in latere, Joannem in pectore, Petrum in ſinu Patris, Paulum in tertio Cælo. S. Bernardus.

Thomas immiſit manus, patefecit vulnera, & ut Chriſtum crederet, iterum pati compulit Chriſtum, S. Chryſoſtomus Serm. 35.

Thomas ambiguæ mentis incredulus, de reſurrectione dubius expavit culpam ſuam, & confeſſionis pœnitentiam publicavit. Idem homil. 2. de reſurrectione.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi queat?

ADmirabile quidem ſpectaculum fuit infidelem Apoſtolum videre, videre ſpiritum, qui fidem in univerſum terrarum orbem perlaturus erat, illius jacturam facere, atque os ad enuntiandas Evangelicas veritates deſtinatum, ipſum oppugnare Evangelium verbis, & ea obſtinatione a nullo præter J.C. infringenda. Hæc permittere non poſtremum eſt prædeſtinationis myſterium. Verum animadvertendum eſt, cum ad duplicem finem Apoſtoli deſtinati ſint, ad Jeſu Chriſti gloriam, & hominum eruditionem eos duplici huic inſervire conſilio, non virtutibus tantum ſuis, verum etiam peccatis. Hinc S. Chryſoſtomus aſſerere non dubitavit, S. Thomam, qui primum Apoſtolorum omnium infirmiſſimus, ac maxime incredulus fuerat viſus, per indulgentiam, qua erga ipſum uſus eſt J.C. illius ſuſtinens infirmitatem, & per gratiæ ejuſdem potentiam factum fuiſſe fortiorem, ardentiorem, atque magis invictum, quam ceteros. Unde diſcimus, noſſe Deum bonum elicere ex malo, quod in primi hominis lapſu præſtitit, qui præbuit illi occaſionem maximam hauriendi ſui nominis gloriam ex eo, quod malorum omnium nequiſſimum fuit. Simili pacto Apoſtoli hujus incredulitatem in invictiſſimum veritatis fidei noſtræ argumentum converte.

Inexcuſabilis magni hujus Apoſtoli noxa.

Inexcuſabilis erat Sancti hujus incredulitas; Fidem habere debebat dicto Filii Dei; qui ſuam prædixerat reſurrectionem, ac teſtimonio S. Petri, qui illum a morte ſuſcitatum viderat, necnon ceterorum Diſcipulorum, quibus ille apparuerat. Imprudentis eſt leves ob cauſſas credere, ut Sapiens ait: *Qui cito credit, levis eſt corde;* (*Eccli.* 19.) ſed eſt animi obſtinati non habere fidem verbo plurium fide dignorum, quia mordicus tuæ inhæres ſententiæ. Hoc hæreticorum, ac impiorum crimen eſt ad inſtar Divi Thomæ dicentium: *Niſi videro, non credam*; (*Pſalm.* 47.) in divinis enim fides viſionem præcedere debet: *Niſi credideritis, non intelligetis*. Beati ipſi nihil in cælo vident, niſi quod in terra crediderunt: *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini*. Summa erat ejus ſuperbia, præferebat enim judicium ſuum illi omnium Apoſtolorum, quos ſimplicitatis redarguebat; & quorum fortaſſe contemptus, cauſſa erat, ut egrederetur de loco, ubi ſimul congregati erant, non ſine manifeſto ſuæ ſalutis diſcrimine; præterquam quod abſentia ſua illum privavit intuitu Magiſtri ſui, aliiſque inſignibus bonis, quæ contulit ſuis Diſcipulis, illis tribuens Spiritum Sanctum. Adeo periculoſum recedere a bonorum ſocietate, eorum monita aſpernari, inter alios eniteſcere velle, mero ſpiritu ſingularitatis. Magnum etiam adeſt argumentum admirandi illius ingrati animi vitium, temeritatem, ac irreverentiam erga bonum adeo Magiſtrum. Ingrati quidem animi vitium, memoria quippe ejus ordinis, quem apud Salvatorem obtinebat, illum in officio cohibere debebat; cui adde gratias omnes quibus ab illo fuerat cumulatus. Temeritatem, volebat enim Domino, Deoque ſuo leges imponere. Irreverentiam denique, ſi enim illum fuiſſet reveritus, ſola cogitatio inferendi manum in Salvatoris latus, nonne efficere debebat, ut contremiſceret?

Per ſuam infidelitatem aufert Deo veritatem verbi & potentiam.

Per infidelitatem ſuam æque D. Thomas & verbo J.C. & magnitudini poteſtatis illius, cujus jugiter præbuerat argumenta miraculorum ſuorum frequentia, facit contumeliam. Heu! quid? S. Auguſtinus ait, *Sic perdidiſti in triduo memoriam Magiſtri, ut non crederes omnipotentiæ Chriſti?* (*S. Auguſtinus ſermone de S. Thoma.*) Judæi, qui adverſabantur fidei reſurrectionis Chriſti Jeſu a mortuis ſuſcitati majus patrabant ſcelus, quam Deicidium, in quod ceciderant; ſimiliter infidelitas tua cum Judæorum infidelitate conjuncta robur addit eorum calumniæ; niteris, ut Judæi, ſecundo mortem inferre Jeſu Chriſto, & id eo quod aſſequi nequis quouſque divini hominis omnipotentia procedat.

Si Apoſtolus lapſus eſt in adeo deplorandam ſpiritus perverſionem, ſi columna hæc adeo labefactata fuit, quid nobis timendum non eſt luteas domos inhabitantibus? *Quanto magis, qui habitant domos luteas:* (*Job* 4.) Si homo electus a Deo ad fidem in univerſum orbem perferendam, illius jacturam eſt paſſus, nonne jugiter trepidare debemus, & operari cum ſalutari metu ac tremore, quem nobis ſuadet Apoſtolus, præcipiens: *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini?* (*ad Philipp. cap.* 2.) Quantum timoris argumentum pro omnibus illis pſeudo ſapientibus ſæculi, qui per ſuperbiam ſuam vim faciunt Patri luminum ut eos celet veritatem: quam exiguis tantum, atque humilibus reſervat! *Confiteor tibi, Pater: quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & revelaſti ea parvulis*.

Quæ ſint in Religionis noſtræ myſteriis metuenda?

Tria nobis metuenda ſunt in Religionis noſtræ myſteriis: 1. Ne nimis rationi humanæ tribuamus naturalis philoſophiæ acuminibus innixi. 2. Ne mordicus noſtro hæreamus judicio, quod poſſet particularibus implicare ſententiis, quod hactenus fuit principium omnium chimæricarum opinionum, ac inſanarum. 3. Ne renuamus fidem teſtimoniis apertiſſimis, veriti, ne noſter nobis error auferatur. S. Thomas in hunc impingebat ſcopulum non ſecus ac Scribæ, & Phariſæi, humanæ rationi nimis auſcultabat, & cum illis negabat corporum reſurrectionem, renuens credere reſurrectionem Jeſu Chriſti. Ut illi, jam judicatus erat, nam *qui non credit jam judicatus eſt*. (*Joann.* 3.) Denique ut increduli iſti, nova patebant prodigia, quin victum ſe daret illis, quæ teſtes fide digniſſimi afferebant. Tanta fuit J.C. bonitas, ut quin illi diceret, quod alia in occaſione ab eo dictum fuit; *Numquid & vos vultis abire?* (*Joann.* 5.) Iterum apparet, & pro hoc peculiariter diſcipulo id facit, quod pro reliquis omnibus generatim facere dignatus fuerat; *Ecce venit iterum Dominus, ne periret diſcipulus*. S. Auguſtinus ait. Venit autem ad iterum inflammandum in corde illius ſancti amoris ignem, qui penitus fuerat extinctus.

Infidelitas, quæ eſt oppoſita fidei eſt primum omnium ſcelerum.

Fides princeps eſt virtutum omnium, Religionis fundamentum, vinculum, quo conjungimur Deo; infidelitas vero, quæ illi oppoſita eſt, primum eſt omnium criminum, & extremus conatus, qui omnino a Deo nos ſejungit. Qui contra caritatem peccat, fidem ſervare poteſt, licet mortuam, & ſine merito; & per illam adhæret adhuc Deo, ſed qui fidem amittit amittens etiam Caritatem, nullam amplius cum illo obtinet affinitatem; ſpiritus illius non ſubeſt amplius jugo fidei, neque cor legi amoris. Quantum ergo fuit S. Thomæ peccatum, cum de reſurrectione Filii Dei, quam alii Apoſtoli eidem annuntiabant, dubitavit!

Cum fides eſt noſtræ juſtificationis principium incredulitas fons eſt noſtræ reprobationis.

Fides ex Tridentino Concilio principium, & radix eſt noſtræ juſtificationis, incredulitas eſt fons, & origo noſtræ reprobationis. Quemadmodum fides nos ſalvos facit, nos perdit infidelitas. Hoc igitur eſt totius diſciplinæ Chriſtianæ compendium, quod J. C. ſancto Thomæ dixit: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. (*Joann.* 20.) Idem eſt perinde ac voluiſſet Deus in hoc exemplo nobis tanquam in tabula proponere ſcopulos omnes, quibus prævidebat futurum ut fides noſtra aliquando eſſet expoſita, & qui nobis aliquando eſſent evitandi in mundo, ſi ibi Religionem integram, ſceleriſque puram tueri vellemus. Chriſtianus enim Spiritus qui agit per fidei motum, ſpiritus eſt univerſalis, ſpiritus rectus, ſpiritus docilis, Spiritus ſupra ſenſus elevatus, Spiritus univerſalis, qui adhæret Eccleſiæ, ac ſe illi conformat; ſpiritus rectus, qui ad veritatem quærendam omnes abjicit præoccupationes; Spiritus docilis, qui ab erroribus ſuis facile reſipiſcit; ſpiritus ſupra ſenſus ſublatus qui non aliam habet regulam, quam magna ſapientiæ, & omnipotentiæ Dei principia, cum de divinis operibus agitur. Iterum dicam; licet hæc una tantum adeſſet oppoſitio inter fidem, & incredulitatem, nonne confitendum eſſet, incredulitatem eo modo quo in pleriſque mortalibus efformatur, meram eſſe humani ſpiritus perturbationem; cum e contra fides antonomaſtice ſit virtus rationabilium animarum, atque ſapientum!

Spiritus ſingularitatis eſt incredulitatis principium uti videtur in S. Thoma.

S. Thomas non erat cum aliis diſcipulis, cum illis Jeſu apparuit: *Non erat cum eis, quando venit Jeſus*. Talis eſt ſingularitatis Spiritus, & ſpiritus hic evulgatiſſimum eſt incredulitatis principium: Hic enim eſt fons unus ex illis, e quo paſſim plurima emanant mala, quæ corrumpant, vel mutant in humanis mentibus fidei puritatem. Quid in mundo tot fidei contemptores? inanis, ſuperbæque ſingularitatis affectatio, quam qui juſto licentiores vivunt, oſtentant. Credunt ſibi ſatis eſſe notam quamdam ſingularitatis, ut præ ceteris plus habeant luminum, & rationis. Non loqui, ut loquuntur alii, non cogitare, ut alii; dicere quod nemo dicere auſus eſt, & rejicere quidquid alii omnes dicunt; hæc ea ſunt in quibus ſita eſt hæc ſpiritus magnitudo, quam jactant; hoc totum eſt effuſionis ipſorum licentiæ ſecretum. Quibus autem rebus innituntur, ut jugum fidei excutiant? proprio ſenſui, alio quovis canone ſemoto. Etenim tantum abeſt quod inter illos conveniat, & eos, qui fidei humiliter ſubjecti ſunt, ut vix conveniat cum aliquo eorum, qui hanc viam contemnunt, & qui liberiores æquo ſunt, ut ipſi; verum enim eſt, quemlibet eorum ſibi interius ad arbitrium fidem confingere, quæ unius tantum eſt, ac cæce omnes ideas ſuas conſectari ratiocinantem modo hac, modo alia ratione, chimærica providentiæ, ac divinitatis ſyſtemata comminiſcentem, quam ſtatus, & evertit, ut præſens libido, illic dominans, fert in re nulla ſtabilem, ac de rebus omnibus diſceptantem.

Dei voluntas non eſt, ut cæce, & ſine ulla electione in omne credulitatis genus ruamus; neque inde ſequitur, nobis ſine ullo examine admittendum quidquid obtruditur nobis tanquam a Deo revelatum. Si hæc eſſent vera, fides noſtra non eſſet amplius prudens, ideoque nec divina. Tantum abeſt Deum ita velle, ut e contra in ipſa fidei materia, tum ne fallamur, cum ut fidei noſtræ reddere rationem ſciamus, nos velit erudiri, licet ratiocinari vetet, ubi nobis ſemel conſtiterit, ipſum loqui; ceterum ratiocinari non prohibet, ut certi ſimus, utrum reipſa nobis ille fuerit locutus. Et non ſolum hoc minime prohibet, ſed jubet, & merito, fieri a nobis hoc ſine animi occupatione examen juxta captus noſtri menſuram: *Nolite credere omni ſpiritui; probate ſpiritus an ex*

Deo

Deo ſint; idque jubet fieri cum eodem ſaltem obſequio, quo Regis alicujus verbum exſequeremus, quo illius nobis ſignificarentur dicta. Hic in re defuit S. Thomas, qui ab aliis Apoſtolis ſecedens, ſe prorſus tradidit ſpiritui ſingularitatis.

Pertinax obſtinatur, ideoque omnem reſtituit auctoritatem ac teſtimonia magis perſpicua.

Alius etiam infidelitatis ſæculi character eſt, pertinaci obſtinatione ad veritatem minime flecti. Vix hoc nobis perſuadere poſſemus, niſi ipſa edoceremur exeperientia; non deeſſe in mundo homines impios, qui ut in nequiſſima ſe impietate confirment, gloriantur omnem a ſe repelli auctoritatem; audent falſi nomine teſtibus probatiſſimis effundere; certiſſimis adverſantur miraculis; facta ipſa, quæ in dubium vocari nefas eſt, audaciſſime expangunt; putant ſe omnem argumentorum vim eludere dicendo eos, qui hæc facta teſtantur, quicunque illorum perſonis, doctrinæ, & ſanctitati honos adhibendus ſit, Cyprianos, Ambroſios, Auguſtinos, vel ipſos etiam deceptos fuiſſe, aut decepiſſe; fallaces, inanium viſorum fictores, ſycophantas. Ita impius loquitur. Crederetne quiſpiam humanæ mentis corruptionem illuc uſque proceſſiſſe; ut honori ſibi verteret, nunquam ſuſcepta dimoveri ſententia, nunquam veritati adquieſcere, ubi ſemel contra illam inſurrexeris! Errorem ad extremum uſque provehere; quia illum probare aggreſſus es, & malle funeſtos illius exitus intueri, quam humiliter illum fateri! Huc tamen fallax hæreticorum zelus progreditur. Peccatum quod palam Spiritui Sancto adverſatur, opponens omnibus ejus luminibus cor durum, cujus mens denſiſſimis eſt tenebris obſita. Peccatum, quod tot lethalia impreſſit Eccleſiæ; quoniam hominis unius pertinacia, ſæpe illam exagitavit, omnemque illi abſtulit tranquillitatem. Peccatum quod in civili ſocietate tot quotidie mala parit cum detrimento Caritatis quæ læditur, pacis, quæ perturbatur, juſtitiæ, & innocentiæ, quæ opprimitur. In hanc tamen abyſſum fuit S. Thomas proprio ſenſui mordicus inhærens, ac detrectans habere fidem fratrum ſuorum teſtimonio. Hoc illud eſt, quod cæci Mortales vim Spiritus appellant. Hoc illud eſt, quod homines æquo liberiores tutius eſſe arbitrantur, quam omnia antiquitatis teſtimonia propter pertinaciſſimam cupiditatem in mundo creſcendi, ibique ſibi, ut putant, famam comparandi ſapientiæ in æternum duraturæ.

Cæcitas eorum qui nolunt credere, quæ ipſi non vident.

Hæc extrema eſt infidelitatis cæcitas, quæ ſibimet adverſata, poſtquam partes reliquit ſolidæ rationis, qua ſubjiciebatur revelationi Dei, omnia ad ſenſuum cognitionem conatur redigere, perinde quaſi ſenſus tribunal haberent revelatione, atque ratione præſtantius; quaſi legitimi Judices eſsent Myſteriorum, quæ nobis proponit Religio; quaſi in ipſius Mundi negotiis credenda non eſſent ſexcenta, quæ nec videntur, nec poſſunt videri. Non hac, fideles, pervenitur ad veritatem. Non quod viſum, ſed quod auditum eſt, Deus in hac vita cognoſcitur, inquit Apoſtolus! *Fides ex auditu*. (*Roman.* 10.) Viſus Myſteriorum Dei merces eſt, quæ nobis reſervatur in Cælo; ſed merces hæc in terris per fidei obedientiam eſt promerenda.

Hæc eſt conſequentia, quod quoniam S. Thom. credidit, utrarem habuit perſpectam, credere debemus, & nulla nobis eſt dubitandi cauſſa.

Credidit S. Thomas; nobis ergo poſt illum credendum eſt; hæc certiſſima eſt illatio, quam ex S. hujus Apoſtoli confeſſione S. Patres omnes elicuerunt. Tandem enim, inquiunt, hujus Apoſtoli fides in ſuſpicionem vocari non poteſt, & nihil eſt, quod nequiſſima qualibet diffidentia illi poſſit objicere. Credidit, non per infirmitatem, non per levitatem, non per cæcum aliorum ſententiis, vel narrationibus obſequium. Longe aliter affectus erat. Sequitur ergo ipſum crediſſe, vel gratiæ miraculo, quod in illo factum eſt, vel perfecta cognitione, quam habuit reſurrectionis Domini ſui. Si miraculo hoc accidit, nihil ultra requiritur, ut mihi hac de re perſuadeatur; ſimilis enim miraculi Deus unus auctor eſſe poteſt.

D. Thomæ fides ſimul & obſcura & evidens fuit.

Fides eſt certa eorum, quæ non videntur, probatio: hæc omnem excludit evidentiam, quemadmodum evidentia nihil obſcuritatis admittit; illa nihilominus, quæ ex Divo Thoma hæc expreſſit verba; *Dominus meus, & Deus meus*, adeo ſublimis eſt, ut omnem ſimul & evidentiam, & obſcuritatem admittat. Quia vidiſti, Thoma, credidiſti. *Unum vidit, & aliud credidit*, inquit S. Gregorius. Verum eſt, Apoſtolum hunc incredulum fuiſſe eo uſque ut pertinaciter Apoſtolis Reſurrectionis myſterium nuntiantibus adverſaretur: audemus tamen aſſerere, Patres inquiunt, illius incredulitatem magis ad Chriſtianorum fidem, quam reliquorum Apoſtolorum fidem contuliſſe. Cum enim dubitans tactu humanitatis, vulnerumque Salvatoris tactu ad fidem revocatus eſt, mentibus noſtris omnem dubitandi cauſſam abſtulit: nos in fide confirmavit, noſtram curavit incredulitatem ſua, inquit S. Auguſtinus, & nequit adhuc dubitari de J. C. reſurrectione, cum in Evangelio legimus ab eodem dictum fuiſse Apoſtolo; Infer digitum tuum, & vide manus meas, affer manum tuam in latus meum, & noli eſse incredulus, ſed fidelis: *Incredulitate Thomæ, vulnus incredulitatis noſtræ ſanatur*. Igitur per hujus Apoſtoli dubitationem, per ipſam ejus incredulitatem mutata eſt mentium noſtrarum infidelitas, fide noſtra firmior evaſit, ac lethalia vulnera, quæ incredulitas cordibus noſtris intulit, omnino curata ſunt.

Qui fidem amiſit, amittit omnia, quia fides eſt totius ſpiritualis ædificii fundamentum.

Fides eſt primum vitæ ſupernaturalis principium, atque totius ædificii ſpiritualis fundamentum; vel ex Apoſtolo S. Paulo, cum hæc ſit baſis, & fulcrum totius ſpei noſtræ, fidem amittere, eſt rerum omnium ſimul jacturam facere, fundamenta Religionis evertere, omnemque futuræ beatitudinis ſpem diruere, ita ut vigente adhuc fide hac, in anima aliqua ſemper reliqua ſit ſpes; per illam reparari poteſt ceterorum bonorum jactura quæ facta eſt, atque ſuper hoc fudamento ædificium attollere, cujus ruinæ conferre poſſunt ad illud in priorem ſtatum revocandum. Sed ubi fidei jactura facta eſt, dicere poſſumus ædificium funditus everſum eſse, arborem radicitus uſque mortuam, & vitæ divinæ principium penitus ſublatum fuiſse. Quibus addo cum S. Petro, malum eſt toto cælo minus nunquam recepiſſe fidem, quam lumina ejus extinguere poſtquam illis fuimus illuſtrati; quia infinite magis cæci ſumus, ac indigni qui recipiamus bonum, quod ipſi ultro contempſimus. Melius eſt ad agnitionem veritatis non venire, quam poſt agnitionem retrorſus converti. (1. *Petri* 2.) Hic eſt deplorabilis ſtatus, ad quem redactus erat Thomas Apoſtolus, & cui miſere ſeipſum mancipaverat.

Vulnera Salvatoris viſa, & attrectata a D. Thoma reddunt fidē noſtram ſenſibilem, & palpabilem.

Vulnera Salvatoris, quæ S. Thomas tetigit, redunt (abſit verbo invidia) fidem noſtram ſenſibilem, atque palpabilem: *Quod vidimus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ*. (1. *Joann.* 1.) quidam ex Apoſtolis ait, de hoc teſtimonium perhibemus. Cum autem aliquid adfertur ad aliud probandum, opus eſt, ut illud in ſe aliquem habeat certitudinis gradum, quem non habet id per quod probatur. Hæc igitur vulnera vim habent illuminandi, & perſuadendi, quod nunquam apertius innotuit, quam in hoc Apoſtolo, qui victas manus dare nolebat, niſi certiſſimum hoc haberet argumentum. Sed ſtatim ac attigit illa, viſus eſt ipſam tangere digito veritatem, & elicuit admirabilem illam fidei profeſſionem: *Dominus meus, & Deus meus*: Nunc vere cognoſco te eſse Dominum meum, & Deum meum.

Verba, quæ S. Thomas protulit, ſunt apertiſſimum divinitatis J. C. teſtimonium.

S. Hilarius his D. Thomæ verbis utitur, *Dominus meus, & Deus meus*, tanquam certiſſimum, ac præclariſſimum divinitatis J. C. teſtimonium. Ita Deus, qui conſuevit ex tenebris lucem educere, validiſſima veritatis hujus argumenta elicere voluit ex ore illius, qui illam ſe nequaquam crediturum affirmaverat; & quemadmodum S. Petrus ſe peculiariter inſignivit virtute Salvatorem ſuum confitendi, poſtquam præ timore illum negaverat, quemadmodum S. Paulus enituit propter ardentem zelum prædicandi ubique gentium Jeſu Chriſti nomen, quem primorum Fidelium cuore ſuffocare fuerat adniſus; ita D. Thomas ſingularem hanc habet prærogativam fidei firmitatem, poſtquam illam amiſerat; ita enim deinceps in illa magis inconcuſsus permanſit, quam antea pertinax ſuæ adhæſerat infidelitati. Mirum in modum profecit ex monito, quod Filius Dei eidem tradiderat: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Abi, in poſterum numquam defecturus a fide. Vidiſti, tetigiſti, iiſdem victus fuiſti argumentis, quæ petiiſti. De hoc igitur tibi ſit omnino perſuaſum. Utique, Salvator mundi, perſuaſum illi erit omnino: vulnera tua, quæ ſunt fontes luminis, illuſtrarunt illum, fontes gratiæ, quas illa huic promeruerunt, de obſtinatione illius triumpharunt.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

QUodnam igitur fuit D. Thomæ peccatum, cum de Filii Dei reſurrectione dubitavit, quam ſibi ceteri annunciarunt Apoſtoli? Non equidem fruſtra inanes conatus exerere conor, illum excuſaturus & cum quibuſdam Doctoribus dicturus eam non magis infidelitatem, quam curioſitatem fuiſſe, quam neceſsariam eſse putabat, ut magis probaretur Evangelium; certo futurum arbitratus, ut populi teſtimonio ſuo non poſsent reſiſtere, ſi illis cum S. Joanne dicere potuiſset, ea quæ de Verbo vitæ prædico vobis, ita certa ſunt, ut ipſa meis hauſerim auribus, oculis meis viderim, & manibus meis attrectaverim. Non ita Thomas infidelis fuit de Magiſtri ſui Reſurrectione, ideoque etiam de illius divinitate dubitavit. Dubitavitne de promiſſione qua dum viveret Jeſus pollicitus fuerat, ſe tertia poſt mortem die ſepulcro glorioſe reſurrecturum? Has rejicit conſiderationes, ſaltem illis præcluſit aditum in cor ſuum; Judæorum calumniæ ſubſcribit; adverſatur ei, quod cælum, ac terra, Angelique, homineſque verum eſse cognoverant; jurat ſe non crediturum, niſi in J. C. manibus viderit fixuram clavorum, quibus fuerant perforatæ. Prætexens majorem cultum, crudeli curioſitate petit, S. Petrus Chryſologus ait, ut ſibi liceat iterum aperire plagas a ſæviſſimis tortoribus illatas, & dies octo in ſua ſententia obſtinato, obfirmatoque animo perſeverat. O cæcitatem eo magis mirandam, quod occurrit in Apoſtolo, & eo viro, quem Salvator tot beneficiis affecerat! Quiſnam crediſſet, Dei Filium conquiſiturum eſse Thomam in ejus incredulitate? Quis cogitaſset poſt verba hæc pertinacia, *Non credam*, gratiam hoc opus ſuſcepturum rebellem ejus Spiritum illuſtrandi? Hoc tamen in errore hæc illi exhibet lumen, quo omnes infidelitatis ejus tenebræ erant diſſipandæ. *Sermones Chriſtiani*.

S. Thomæ cor ardētiſſima caritate fuit ſucceſum videns cor Salvatoris & amoris ejus magnitudinem.

Apertiſſimis amoris, & benevolentiæ argumentis, quæ Salvator D. Thomæ tribuit, tepidum hujus Apoſtoli cor incaleſcit, flagrat vividiſſima caritatis flamma, ac eo magis ardet, quo magis alſerat glacie conſtrictus. Tu es Dominus meus, & Deus meus, ait ille Jeſu Chriſto, & ſcandalum quod per infidelitatem, teporemque meum Eccleſiæ præbui, reparaturus non hic quieſcam ad illum coram ipſa confitendum; extremas peragrabo terrarum plagas illud confeſſurus uſque ad ſanguinis effuſionem. Et profecto ſi fas eſt de effectibus judicium ferre ex præſtantia cauſſæ, a qua producuntur, quid expectandum non eſt ab Homine, qui manum immiſerat in ipſum cor Jeſu Chriſti, in divinitatis Sacrarium, in immenſum ſuavitatum omnium pelagum, in amoris, omniumque divitiarum gloriæ theſaurum? ab Homine, qui hauriens amorem ex ipſo amoris fonte factus fuerat Sanctus non ſolum, ſicut David, ſecundum cor Dei, ſed in ipſo Dei corde, & de corde Dei? S. Joannes Baptiſta opus eſt manuum Dei: *Manus Dei erat cum illo*. S. Petrus opus eſt oculorum Dei: *Converſus Dominus reſpexit Petrum*, qui *egreſſus foras flevit amare*. S. Matthæus opus eſt vocis ejus, cum dicit: *Sequere me*. Magdalena eſt opus pedum illius; *ſedens ſecus pedes Domini audiebat*: S. Joannes Evangeliſta opus eſt pectoris ejus clauſi; *recubuit in cœna ſuper pectus ejus*. S. Thomas opus eſt cordis ejuſdem lanceæ ferro aperti; unde ille hauſit immediate zelum & amorem hunc, qui eum in extremas uſque mundi plagas pertulerunt, ut perhiberet teſtimonium reſurrectioni Filii Dei, de qua dubitaverat. *Idem*.

Quomodo S. hic ſuam reparaverit infidelitatem?

S. Thomas ſtatim ac ſuam de Domini reſurrectione ſententiam animo concepit, quin vereretur auctoritatem illorum, qui annuntiabant ipſi Jeſum reſurrexiſſe, & quin ullam haberet rationem detrimenti, quod incredulitas ſua fidei Chriſticolarum afferre poterat, ſtatim in arena aperta voce profeſſus eſt, *non credam*. Niſi videro fixuram clavorum, & immiſero manum meam in latus ejus, non credam. E contra ſtatim ac Dei Filius illum revocavit, iterumque caritatis ignem in illius corde ſuccendit, linguam mutavit, & generoſa confeſſione hac: *Dominus meus, & Deus meus*, fidem, amoremque ſuum oſtendit.

Sed quoniam cupiebat, ut vox ſua tantam J. C. gloriam compararet, quantam eidem injuriam attulerat, ſatis non putat in cœnaculo, & coram Apoſtolis profiteri, ſe Jeſum pro Domino, ac Deo habere, voluit ut remotiſſimæ etiam gentes id intelligerent, & ut cor ſuum, cui perſuaſum erat, ubi amatur, non ſatis de dilecto ſuo haberi poſſe verba, repararet funeſtum illud momentum, quo fuit infidelis, cetera omnia, quæ ſupererant vitæ momenta in gloria, ac Domini ſui prædicanda reſurrectione impendendo. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es*. Quemadmodum nullus eſt terræ locus, ubi non fulgeant tuæ miſericordiæ, atque magnificentiæ ſigna; volo quoque nullum eſſe, quo os meum non afferat nominis tui gloriam. Et ſane illud non in una tantum urbe, Provincia, & Regno exauditum fuit; hæc omnia zelo ipſius ſatis non erant, ſed maria tranenda ſunt, & Indorum partes, novuſque orbis adeundus. Illi ſatis non eſt prædicare Evangelium Parthis, Medis, Caramanis, Perſis, & Hircanis, Garamantas etiam, & Abyſſinos debet conquirere. Huic videtur Deus per Prophetam promiſiſſe nationes in hereditatem, atque extrema terræ in poſſeſſionem; de voce illius dictum videtur, Vox tonitrui tui in rota. Rota ſemper procedit, atque humum vix, vel ſaltem in puncto fere indiviſibili attingit; & talis vox erat Præconis vulnerum Jeſu. Mortificatio ita illum ad maciem adegerat, ut fere non amplius terram attingeret. Angelus potius videbatur, quam homo; vel ut ſcribit Metaphraſtes, auſteritates ita illum attriverant, ut Indias ingreſſus, habitus fuerit pro corporis umbra, quam pro corpore. Sed vox ejus erat *tonitru*, quod confringebat idola, quod idololatras convertebat, quod in omnium cordibus ciebat metum judiciorum Dei, quod de Provinciis in Provincias volutabatur, ut Jeſu Chriſto recentia animarum trophæa lucraretur. *Idem*.

Ejus in perferendis perſecutionibus fortitudo.

Fateor equidem hæc omnia nequaquam immenſo reſpondiſſe zelo hujus Apoſtoli, & ſi hinc J. C. immenſum diſcipulorum numerum congeſſit, inde tyrannos, atque perſecutores in ſe ipſum excivit, quorum odium non niſi cruore ſuo potuit extinguere. Sed hoc pacto ardentem explevit caritatem, quæ quodam tempore, quo Salvatori mors videbatur impendere, hæc ex illo expreſſit verba: *Eamus & nos, & moriamur cum eo*; (*Joann.* 15.) cum alia eſſet reliquorum Apoſtolorum ſententia, quippe qui nondum erant effecti; ut mortem Magiſtro ſuo vellent libenter ſubire. *Iidem*.

Quanta affectus fuerit injuria Salvator ex D. Thomæ incredulitate.

Quam contumelioſa Dei filio fuit D. Thomæ infidelitas! O quam periculoſus eſt morbus, cum lædit Medicum a quo ſanandus eſt! Quænam fuit Salvatoris injuria videre interire fidem, ſed eam fidem, quam miraculo fuerat elargitus, idque per infidelitatem, quæ fidem ſuæ Reſurrectionis offendit, quæ erat myſterium ad illius gloriam maxime neceſſarium; velut ſi Lazarus necem ſibi conſciviſſet, ſibique miraculoſam ademiſſet vitam, quam acceperat a J. C. S. Auguſtinus jure animadvertit; Judæorum ſcelus, qui fidei Dominicæ reſurrectionis adverſabantur, Salvatori quodammodo fuiſſe contumelioſius, quam primum parricidium, quod mortem eidem inferentes commiſerunt. Cur? quia reſurgens mortis ſuæ reparabat infamiam, atque, ut S. Chryſologus inquit, in eodem tumulo, unde egrediebatur, infamiam ſuam tumulabat: *Sepelivit morientis infamiam*. Ita Judæi fidem reſurrectionis impugnantes, rurſus illum interficiebant. Auferebant illi alteram vitam hanc; contumelias ſuas inſtaurabant, & rurſus quodammodo vulnera ejus aperiebant. Sed quod Salvatoris inimici conati fuerant, Apoſtolus hic ſua infidelitate perfecit; ſubſcripſit Judæorum calumniæ, & condemnans quod Cælum, & terra quod Angeli, & homines prædicant, videlicet Reſurrectionis Myſterium, huic abrenuntiat, & ſe ſe

incredulis ſocium conjungens, clamat: *Non credam, non credam*. *Birant*.

Deus Sanctorum ſuorum lapſū permittit, ut inde majorem gloriam, percipiat.

Mirum ſane eſt, quod Deus Sanctorum ſuorum lapſum permiſerit, eorum vero præſertim qui gloriæ ſuæ magis profuturi videbantur, & majori zelo inflammaverit eos, qui fuerant nocentiſſimi. Quid S. Paulo ardentius? Hic perſecutor erat antequam eſſet Apoſtolus. Quid majori zelo ſucceſum S. Petro? Jeſum Chriſtum ore eodem negaverat, quo illius gloriam annuntiat. Quare? ut peccata ab illis patrata ſint eorum zeli incitamenta; ut crimina reparare contendant virtute ſua, ac tantum gloriæ illi retribuant, quantum abſtulerant, dicentes cum pœnitente David: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*. (*Pſ.* 50.) Heu, Domine, quandoquidem læſi nomen tuum, gloriam illius procurabo. Vita mea ſcandalum fuit, efficiam, ut ſit exemplum; & quoniam nocentes feci, peccatores convertam. Quam validum fuit excitamentum D. Thomæ zelo ejus infidelitas! Peccati ſui memoria vehemens erat amori ſuo ſtimulus, quo ad Evangelium prædicandum excitabatur, ut aliquo modo lumina ſua tenebris ſuis congruerent: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*. Pro magnitudine tenebrarum cum pompa, ac nitore fidem annuntiabat. Cum ſuæ infidelitatis illi mentio occurrebat, in ſemetipſo dicebat, eamus ad reparandam injuriam, quam Domino attulimus; eamus ab ubique accendendam fidem hanc, quam in nobis metipſis extinximus. Negavi Dominum meum, & Deum meum in corde meo, prædicabo illum ante faciem tyrannorum eumque immittam in corda omnium populorum, & niſi vox mea ſuffecerit; ſanguinem ipſum vitamque impendam. *Idem*.

Bonitas, & miſericordia Salvatoris erga hunc Apoſtolū, quem in ipſa quærit infidelitate

Non vulgare fuit divinæ bonitatis opus, quod quærere voluerit infidelem hunc Apoſtolum in ſtatu peccati ejus, qui cum ab aliis ſecedit Apoſtolis, curationem ſuam fugere videtur: Idque eo magis, quod Salvator ab hoc munere tunc videbatur alienus. Cum primo S. Thomam vocavit, mortalis erat, atque paſſibilis, vulgo inter homines vivens; cum vero illum vocavit ſecundo, jam reſurrexerat, ac in ſtatu Gloriæ ſuæ verſabatur. Conſecrat vitam ſuam glorioſam ad peccatoris hujus converſionem, cum in id unum intentus eſſe debebat, ut cruciatuum ſuorum fructum perciperet, nec dedignatur ſubire Medici munus, cum illum Magiſtri ſolum, ac Domini erat illi obeundum. S. Auguſtinus de S. Pauli converſione loquens mirifice extollit ejus ſtatus, in quo erat ille, circumſtantiam. Sed quod ille de S. Pauli converſione dixit, hoc de illa D. Thomæ dicere poſſumus, cum hoc tamen diſcrimine, quod Thomas primum fuit Jeſu Chriſti a mortuis ſuſcitati miraculum, & prima vulnerum J. C. operatio, fuit curatio vulnerum Spiritus S. Thomæ. *Idem*.

Docent communiter Patres Sacramenta noſtra ex vulneribus corporis J. C. emanaſſe cum ſanguine, & aqua, qui poſt illius mortem inde effluxerunt. Sed quod Salvator generatim pro totius mundi ſalute operatus eſt, hoc peculiariter pro D. Thomæ converſione præſtitit, vulnerum ſuorum applicatione. Ex eodem hiatu unde Eccleſiæ fides prodiit, fides etiam D. Thomæ emanavit. Si vulnera, ut S. Bernardus ait, ſunt noſtrorum Sacramentorum fontes, exterior eorumdem vulnerum applicatio quoddam extitit velut Sacramentum pro infidelis hujus diſcipuli curatione. Quoddam, dixi, velut Sacramentum: duo quippe in Sacramentis occurrunt, alterum quidam viſibile, & quod extrinſecus patet, alterum inviſibile, quod latet intrinſecus. Quid in Eccleſiæ Sacramentis palam videtur? Exteriora ſigna, & actiones, quæ fiunt. Quod vero non videtur gratia eſt, quæ per illa confertur; applicatio vulnerum Salvatoris oculis hujus Apoſtoli; applicatio manuum Apoſtoli ad Salvatoris vulnera. Hæc ille videt, & tangit; verum ſimul fuit etiam inviſibilis applicatio Thomæ ſpiritui.

Sacramenta quę uti vulgi dicitur ex Salvatoris vulneribus effluxerunt pro Mundi ſalute, aliquo pacto adhibita fuerunt ad Apoſtoli hujus converſionem.

Si ſola vulnerum Domini cogitatio cordibus Sanctorum vulnerandis par eſt; ſi S. Bernardus ad illorum conſpectum lacrimis temperare non valuit: *Nolo vivere ſine vulnere cum te videam vulneratum*; tametſi oculis fidei dumtaxat, & veluti rem remotiſſimam conſpexerit; heu! quam vim obtinuiſſe credenda ſunt in corde D. Thomæ, qui illa propriis coſpiciebat oculis, propriis attrectabat manibus, quæ proceſſerunt ad intimos etiam divini cordis motus: *Vide latus meum, & cognoſce ibi locum clavorum*. Vide, Thoma, cognoſces ſimul tum clavorum meorum, cum tuorum criminum impreſſionem. Hæc ſunt diverſa objecta, quæ ille in amabili Salvatoris corde intuetur. Infinitum amorem, quem Dei filius illi teſtatus eſt, cum paſſus fuit hæc vulnera; vulnus quod ipſi ſua attulit infidelitas. Heu! ne dubiteris, ne poſtquam ſceleris ſui magnitudinem conſpexerit, non magis, magiſque excitetur ad amorem & gloriam Domini ſui. *Patent viſcera miſericordiæ*: videt miſericordiæ viſcera Patris ſui, quæ illum conceperat in corde ſuo per gratiam, tanquam fructum doloris ſui, & quæ ipſe per ingratitudinem, & infidelitatem ſuam dilaniaverat. Dubitare non poſſumus quin eo momento, quo digitum habuit in corde illius, ac ſenſit motus hujus amantiſſimi cordis Jeſu, cor iſtud ſexcenta illi dixerit, ut perſuaderet ei, atque cognoſcendum eidem præberet peccatum ſuum luminibus admodum perſpicuis, ac vividis. Sed poteratne hoc ſuavius, & amabilius facere? poteratne efficacius dolorem criminis illius procurare? Ignoramus profecto quænam fuerint hujus Apoſtoli vulnera, nihil enim de pœnitentia ejus narrat Evangelium. Sed quomodo paſſim vulne-

rum

BIBLIOTECA CENTRAL

rum magnitudo dignoſcitur ex iis inſtrumentis, quibus illata fuerunt; de vulneribus cordis hujus Apoſtoli judicium ferre poſſumus ex gladio, atque telis, quibus Dominus uſus eſt, ut illa inferret, atque aperiret. Salvatoris plagæ fuerunt inſtrumenta, gladii, ſagittæ, quæ cor Thomæ tranſverberarunt, nonne inde conjici poteſt vulnerum magnitudo, & auſteritas pœnitentiæ illius? Atque, ſi S. Petrus quia converſus fuit oculis J. C. oculos ſuos pœnitentiæ, lacrimiſque conſecravit, nonne dicere poſſumus S. Thomam converſum Dominici Cordis vulneribus, ſtatim dolores concepiſſe magnitudini eorum pares? *Idem.*

Quomodo dici poſſit S. Thomam mortuum eſſe ex vulneribus, quibus cor ſuum vulneratū fuit videns vulnera Salvatoris?

Thomas Salvatoris Caritate vulneratus provincias, ac regna peragravit, ut inveniret quod zelo, & amori ſuo ſatiſfacere poſſet, donec apud Indos reperit unde ardorem ſuum ſublevaret carnifice reperto, qui vulneribus illum affecit, per quæ totum effudit Sanguinem, & cum vita ſua ignem, quo anima illius inflammatur, extinguit. Hic Sanguis, ſimulque hæc corporis ejuſdem vulnera oſtendunt & plagas cordis ſui, & victricem vim vulneris Magiſtri ſui; dici enim poteſt, vulnera, quæ Thomas in his certaminibus patitur, effectum eſſe zeli, quem Jeſus Chriſtus illi oſtenderat in Jeruſalem, ubi J. C. plagæ effecerunt primum quidem cordis, mox etiam corporis ejuſdem plagas. Si quis lethali vulnere fuit affectus, non ſtatim moriatur, & aliquando ſuperſtes ſit, nihilominus cum ex viventibus excedit, tamen ex antiquis vulneribus mortuus dicitur, quoniam fuerunt vera mortis ejuſdem cauſſa, licet lentior fuerit eorum efficacia. Moriatur Thomas ſerius, ocyus poſtquam Domini ſui plagas inſpexit, abeat in remotiſſimas terras martyrium ſubiturus, nihil intereſt; duplici moritur vulnere, & eo, quod in Corpore Jeſu conſpexit, & eo, quod ipſe recepit in corde. Lethalia hæc erant vulnera ex primo momento; ſed non niſi aliquandiu poſt ſuum obtinuerunt effectum. Lenta operatio eſt; ſed ſemper mortuus eſt illis vulneribus, ac ſagittis, quas amor in ejus corde reliquerat; ac ille moriens dicere poſſe mihi videtur ſecus extrema Indorum litora, eadem, data paritate, verba, quæ Salvator in cœnaculo protulit: *Vide manus meas, cognoſce locum clavorum.* Deus meus oſtendiſti mihi plagas, quas pro me recepiſti, ego tibi offero, quas pro te paſſus ſum: præcepiſti mihi, ut manum ingererem in latus tuum, recipe ſanguinem ex latere meo affluentem, & accipe ſimul ſpiritum meum, quem in manibus tuis emitto. *Idem.*

D. Thomæ præoccupatio cauſa fuit infidelitatis ejus cum adverſarius eſt omnibus teſtimoniis quæ de Salvatoris Reſurrectione fuere perhibita.

Præterquamquod S. Thomas ſe præoccupavit, obſtinato animo in ſua perſtitit incredulitate. Omnia illum ſuadebant, ut Jeſum reſurrexiſſe crederet; narratio mulierum, quæ illum viderant, Magdalenæ teſtimonium, quæ cum illo fuerat collocuta, nuntium duorum diſcipulorum qui cum eodem in caſtello Emmaus comederant, circumſtantiæ, videlicet tumulus repertus inanis ſub publico ſigno, Synagoga furens, ſatellites confuſi: hæc omnia proculdubio illum de Domini reſurrectione perſuadere debebant. Verum his neglectis perſiſtit, & ſe non crediturum affirmat. Verus infidelitatis ſæculi character quod pertinaci oſtinatione veritati ſe invium, & inflexibile præbet. Quis crederet humanæ mentis corruptionem eo uſque procedere, ut nunquam a ſententia ſua divelli patiatur, nunquam veritati adquieſcat, ubi ſe eidem oppoſitam fovere opinionem palam fuerit compertum; errorem ad extrema uſque provehat, quin ſemel illius probandi provinciam ſuſceperit; & malit funeſtos exitus intueri, quam errorem agnoſcere, eumque humiliter confiteri? Hic nihilominus fallax hæretici zelus evadit. Peccatum, quod directe Spiritum ſanctum laceſſit, opponens omnibus luminibus ejus cor durum, quo Spiritus tenebrarum poſitus eſt. Peccatum, a quo Eccleſia tot mortales retulit plagas, quia unius hominis obſtinatio prope fuit ut illam ſæpe ad vaſtitatem, ac excidium vocaret. Peccatum, quod in civili ſocietate quotidie tot mala parit cum ſummo detrimento caritatis, quæ læditur, pacis, quæ perturbatur, juſtitiæ, atque innocentiæ, quæ opprimitur. Hoc illud eſt, quod Mundus ſpiritus fortitudinem vocat. Heu! ne permittas, Dñe, ut ſimilem nobis efformemus, ne ſinas ſpiritus noſtros fidei ſumptibus roborari. Si quid fortitudinis nobis reliquum eſt, pro te illam tueri, ac impendere volumus. *P. Bourdaloue.*

Quam potens ſit S. Thomæ teſtimonium ad Filii Dei Reſurrectionē probandam.

Ad incredulitatem Reſurrectionis, ideoque divinitatis Jeſu Chriſti confundendam ſatis erat; ſi D. Thomas ſe ipſum oſtenderet, elataque voce diceret: ego ipſe hanc reſurrectionem oppugnabam, ipſe ab illius fide heu! quam longe abhorrebam, ſed illam hodie cogor confiteri, nec amplius hac lucis uſura volo frui, niſi ut eamdem profitear. Hoc mihi vita ſtabit, & ſanguine, ſed me beatum, ſi per ſanguinis effuſionem perhibere potero Sanctæ huic Veritati teſtimonium, quod debeo? Teſtimonium hoc totius gentis meæ odium mihi conflabit; ſed nullo in diſcrimine habebo omnem populi mei iracundiam, dummodo annunciem gloriam Dei mei. Dicam iterum, quid inſpirare poterat huic populo ſenſus adeo generoſos? Numquid erat iſta præoccupatio? erat mentis perturbatio? Erat lucri cupiditas? an potius liquet nihil horum fuiſſe? Et quandoquidem Apoſtoli hujus converſio explicari nequit, niſi dicendo; hunc fuiſſe effectum, ſed indubitabilem, ac palpabilem veritatis a ſe viſæ, quid ultra optandum nobis eſt pro fidei noſtræ ſecuritate? *Idem.*

D. Thomæ fides ratio eſt, quæ nos perſuadet & lectio quæ nos erudit.

D. Thomæ fides non ſolum argumentum eſt, quod nos perſuadet, ſed etiam documentum, quod nos erudit: quod poſtquam nos ad credendi neceſſitatem adegit, docet etiam quid credendum ſit. Etenim quemadmodum Guillelmus Pariſienſis animadvertit, unico verbo magnus iſte Sanctus factus eſt Theologus, Doctor, Magiſter totius Eccleſiæ, ſæculorum omnium fidem illuſtravit, omnes diſſipavit tenebras, quibus hæreſeos nequitia ſæculorum decurſu erat uſura, ut præcipuis myſteriis nubem offunderet. Et ſane quod fidei noſtræ caput conſtituit, eſt credere Jeſum Chriſtum eſſe Deum; alioquin nullus eſt Chriſtianiſmus, nulla religio, nulla gratia, nulla ſalus. Licet eſſemus Angeli lucis & operatores miraculorum, niſi Jeſu Chriſti divinitatem confitemur, & niſi parati ſumus, ut pro illa tuenda moriamur, ſumus anathemata, & reprobi.

Quæ alia cauſſa præter amorem veritatis impellere poterat S. Thomam, ut crudelem mortem ſuſtineret.

Novi equidem non ſine præſumptione, atque injuſtitia in ſuſpicionem vocari poſſe Evangelicorum Miniſtrorum infidelitatem, ſed cum video Apoſtolum jaculis confoſſum, ut D. Thomam cruentatum, & pro fide, quam annunciat, confirmanda morientem, mecum ipſe tacitus ita reputo, quænam alia ratio, præter quam veritatis illum agere poteſt, ut hoc pacto ſuſtineat, ac ſe ipſum ſacrificet? Oportebat ſane illum omnino perſuaſum fuiſſe de illa religione, quam tueri tanto illi ſtabat pretio. Oportebat illum potentiſſimas rationes habere. Ceterum cuinam tutius, atque ſapientius fidem habere debet, quam illi, qua ait ſe oculatum fuiſſe teſtem eorum, quæ nobis tradidit, & quæ tanta conſtantia ſuſtinuit? Ejus teſtimonium paribus præſertim in circumſtantiis invictiſſimum eſt, ſicuti ejus exemplum eſt etiam documentum, quod oſtendit, qualiter ipſi affecti eſſe debeamus in iis quæ pertinent ad fidem. *Idem.*

Paratos eſſe nos decet ad mortem ſubeundam ob fidem tuendam Apoſtoli hujus exemplo.

Profecto talis eſſe debet noſtri cordis affectio, & talis adhæſio fidei noſtræ, ut nihil nos inde valeat avellere. Verum eſt non eſſe amplius ea tempora, quibus omnes terrarum poteſtates fœderatæ contra J. C. & Evangelium ejus quidquid virium, atque auctoritatis habebant in fidelibus perſequendis impendebant. Non ſumus amplius exſilio, carceribus, equuleis, cruciatibus, ac morti ipſi obnoxii. Libere, ac palam profiteri poſſumus Sanctam Religionem, quam in Baptiſmo ſumus amplexi, & in qua alti, & eruditi fuimus. Verum etiam fides, quam modo ſine periculo, immo etiam cum honore facimus, ut meriti, ac perfectionis gradum obtineat, quem D. Thomæ habuit confeſſio, & qui eidem eſſentialis eſt, eſſe debet conjuncta cum ea conſtantia, quæ conſtantiam Divi Thomæ imitetur, ita ut Deo adjuvante parati ſimus ad omnia ſubeunda pericula, mortemque ipſam obeundam, potiuſquam characteri, quo inſigniti ſumus labem ullam inferamus. *Ibidem.*

Mirum eſt, quod Sanct. Thom. hanc præ ſe tulerit infirmitatem, quam oſtendit dubitans de J. C. reſurrectione.

Videtur, S. Thomam nequaquam in hanc mentis imbecillicitatem incidere debuiſſe; Primum enim triennio permanſerat in Increatæ incarnatæque Sapientiæ ſchola, cujus fulgentia, ac viva lumina debuerant roborare, atque illuſtrare ſpiritum hujus diſcipuli, cui illa non communem, ſed Apoſtoli fidem tribuerat, videlicet facem ad univerſum terrarum orbem illuſtrandum deſtinatam. 2. Ex tot miraculorum aſpectu diſcere debuerat Domini, Magiſtrique ſui poteſtatem toto cælo omnes cogitationes excedere. 3. Quemadmodum ſciebat Jeſus Chriſtus Myſterium reſurrectionis eſſe debere Eccleſiæ ſuæ fundamentum, & fidei noſtræ baſim, peculiarem ſuſceperat curam de eodem Apoſtolos erudiendi, atque in ſermonibus ſuis cum mortis ſuæ infamia Reſurrectionis ſuæ gloriam conjungendi. S. Thomas hac in re incredulus eſse non poterat, quia dubitaret, Jeſum Chriſtum vel potuiſse, vel voluiſse reſurgere, quorum utrumque erat æque criminoſum. Si dubitat illum reſurgere voluiſſe, injuriam facit ejus fidelitati, quippe ſine ullis ambagibus palam ſe reſurrecturum prædixerat; ſin dubitat, non potuiſse, contumeliam infert omnibus omnipotentiæ ſuæ probationibus, quas Jeſus ſuis miraculis ſæpiſſime dederat. Adde, quemadmodum Judæi, qui adverſabantur fidei Reſurrectionis J. C. ſcelus patrabant quodammodo contumelioſius Salvatori, quam fuerat Deicidium in ejus perſona patratum, quod ex hominum mentibus auferre volebat glorioſam, ac immortalem vitam illius; ita hic Apoſtolus per infidelitatem ſuam ſeſse Judæis ſocium adjiciens, eorum calumniæ conferens auctoritatem, damnat ſimul quod Cælum, ac terra, Angeli, & homines de Domini reſurrectione teſtantur. Conatur, non ſecus ac judæi, mortem illi ſecundo inferre; idque, quia ſpiritum habet adeo infirmum, ut concipere nequeat Dei potentiam efficere poſse, quod nequit ille intelligere. *P. Texier in S. Thomæ Panegyrico.*

Quanta fuerit incredulitas & obſtinatio hujus Apoſtoli?

Quænam igitur eſt ſuperbia, ac pertinacia hujus hominis, qui audet aſſerere, univerſam Eccleſiam in errore verſari? qui traducere vult non Magdalenam ſolum, & diſcipulos, verum ipſum etiam S. Petrum, omneſque Apoſtolos tamquam ſomniatores, ac faciles qui fucum ſibi fieri permittant? Omnes apparitiones, quas illi narrant publicis, ac maxime perſpicuis circumſtantiis conveſtitas, tanquam illuſiones, & ſomnia traducit, ſe in fortem, vel potius audacem ſpiritum attollit; & non ſine quadam tyrannidis ſpecie ipſe unus reliquos omnes cogere vult, ne credant ea, quæ ipſi viderunt, & credant, quod ille neſcit. Poſtquam ergo omnes Apoſtoli narraverunt illi peculiares circumſtantias Dominicæ Reſurrectionis, & Eccleſia univerſa illi perhibuit teſtimonia adeo probata, tanto calore exarſit, ut profeſsus fuerit, niſi Deus omnino fecerit, quod ipſe vult, & niſi ille ſeſe legibus ab ipſo propoſitis obtemperaverit, ſeſe nunquam crediturum. Non ita, dicite quodcunque vobis libet, vobis edico, niſi videro fixuram clavorum in pedibus, & immiſero manum meam in latus

ejus,

ejus, me nunquam crediturum, quod reſurrexerit. Profecto, o magne Apoſtole, hoc nimis eſt cæli luminibus reſiſtere, hoc eſt nimis abuti bonitate Dei tui, nimis obfirmato obſtinatoque animo tuum velle interitum. Quid? Dei Providentia in diſpenſatione ſalutis humani generis unum dumtaxat deſtinavit Apoſtolum, qui nationibus integris, pluribuſque regnis prædicaret Reſurrectionis J. C. myſterium, ac pro te uno adhibet omnium Apoſtolorum collegium, quorum teſtimonium ſatis erit, ut aliquando omnes terræ populi credant; ut vero animum inducere non potes, ut illis habeas fidem? Ita, eſt; *Non credam. Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Heu, miſer incredule! Magiſter tuus adeo bonus eſt, ut tuo conſentire nolit exitio. Utique, videbis illum, licebitque tibi per otium illum intueri, ac dignoſcere admirabilia faciei ſuæ lineamenta: leges in oculis ejus myſterium, quod tanta improbitate negas; veritatem ipſe loquetur ad te, ac ſe reſurrexiſſe dicet. Poſt hæc num voti compos tui futurus es? Numquid de illius reſurrectione tibi erit perſuaſum? Nequaquam: *Niſi miſero manum meam in latus, non credam.* Non credam oculis meis, non credam auribus, omnino illum tangere volo, & corpus, quod reſurrexiſſe dicitur, attrectare. Verum ſaltem, pertinaciſſime, ſi Dominus tuus adeo indulgens fuerit, ut permittat homini mortali qualis tu es, attingere carnem immortalem, & glorioſam, qualis caro ſua eſt, & ſi tibi dixerit quod aliis nonnullis dixit: *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet;* (*Luc.* 24.) victum te fateberis, & credes? *Non credam.* O intolerabilem cæcitatem! o extremam injuſtitiam ſubditi erga Dominum ſuum, creaturæ erga Creatorem ſuum, qui facit, ut hic Apoſtolus ſe ſe tradat libidini ſpiritus ſui, & neſciat, quod petit? Non agit ultra ratione ductus, ſed libidine & obſtinatione. Si Apoſtolus in tantam mentis cæcitatem lapſus eſt, quid nobis metuendum non eſt? Si vir a Deo electus, ut fidem per omnem terrarum orbem evulget, illam amiſit, & os deſtinatum ad Evangelium prædicandum, illud adeo pertinaciter oppugnavit, nonne plurimum nobis eſt trepidandum? *Idem.*

Amor, & indulgentia Filii Dei erga D. Thomam.

Jeſu Chriſti erga D. Thomam caritas in eo potiſſimum enituit, quod data opera propter illum unice venit, & cum non niſi ad eum puniendum apparere debebat, propter eumdem ſalvum faciendum apparuit: *Ecce iterum venit Dominus ne periret diſcipulus.* Alii Apoſtoli ſemel tantum vocati fuerunt; hic tamen duplicem habuit vocationem. Fingite migitur vobis animarum Salvatorem, qui in medio Apoſtolorum omnium apparens, eiſque pacem largiens, miſerum hunc non irato, ſed miſericordiæ reſpicit oculo. Non legimus in Evangelio, ne unum quidem exprobrationis verbum ab illo fuiſſe prolatum adverſus Thomæ incredulitatem; ſed e contra benevolentiæ oculis in eum converſis dixiſſe: Accede, Thoma: nimis mihi ſuavis es, nec poſſum in tuum interitum conſentire: te eo pacto, quo maxime cupis, vincam. Dicis ergo ſatis non eſſe, quod tibi pedum, manuum, lateriſque mei vulnera oſtendam; iterum pro ſalute tua aperienda ſunt vulnera mea. Lubenti animo hoc faciam. Da mihi digitum tuum, affer manum tuam. Videor mihi videre hunc Apoſtolum rubore ſuffuſum, non audentem oculos attollere ut Magiſtrum ſuum intueatur, & ſtupore perculſum, factique pœnitentem immobilem permanere. Sed Dominus apprehendens digitum ejus, hunc ſuis vulneribus inſerit: *infer digitum tuum huc*, apprehenſamque illius manum in latus ſuum immiſit. *Mitte manum tuam in latus meum, noli eſſe incredulus.* Heu tu! adhuc contentus ne es Thomas? Eſne amplius incredulus? Rejice igitur increduli qualitatem, ut illum fidelis accipias. *Idem.*

Vulnera Salvatoris in D. Thomæ gratiam aperta, fidei lumina pro totaque Eccleſia effuderunt.

Egregia eſt S. petri Chryſologi in hunc locum animadverſio. Ait J. C. vulnera, quæ ſanguinem effuderunt, ut nos redimeremur, & poſt mortem ejus, aquam unde baptizaremur emiſerunt, poſt reſurrectionem ejuſdem iterum aperta manu Thomæ cum pro illo, tam pro Eccleſia tota fidei lumina dediſſe; ita ut, S. Gregorius Magnus ait: *plus nobis profuerit ad fidem Thomæ incredulitas; quam fides diſcipulorum credentium. Idem.*

S. Thomas per infidelitatem adduxit in diſcrimen ſalutem ſuam ſimul & noſtram.

Non poterat S. Thomas ſuam excuſare infidelitatem; ipſe enim illam evulgaverat, & dubitans de veritate myſterii, quæ fidei noſtræ fundamentum eſt, ſuam ſimul cum noſtra ſalutem adduxerat in diſcrimen. Etenim quomodonam nobis perſuadere potuiſſemus Jeſu Chriſti reſurrectionem, ſi unus ex diſcipulis illam negaſſet, & quomodo nos facti fuiſſemus fideles, ſi S. Thomas permanſiſſet incredulus? Sed Filius Dei magno bonitatis exceſſu tenebras mentis illius diſſipavit, eique lumen immiſit per ſenſum, fidemque per experientiam confirmavit. Permiſit illi, ut ſuas plagas ſcrutaretur, ut propriis afferret medicinam, & qui inter omnes Apoſtolos maxime infidelis erat, fieret illorum humillimus, & fideliſſimus. *P. Senault.*

Infidelitas fons eſt omnium peccatorum, & ſtultitia.

Quemadmodum fides eſt omnium Chriſtianarum virtutum principium, infidelitas ita eſt fons omnium peccatorum. *Qui non credit, jam judicatus eſt*, (*Joann.* 3.) ait Jeſus Chriſtus. Nequit amare Deum, qui illum non novit; ſperare non poteſt in illius promiſſionibus, quia non confidit in verbo ejus; ad Cælum contendere non valet, quia extra viam eſt, quæ illuc adducit: quo magis progreditur, magis errat, quo magis vento impellitur, eo magis forte ducitur. Scio equidem, infidelitatem ſapientiæ, ac potentiæ Dei permoleſtam eſſe; ipſam velle intra breves terminos duas hasce infinitas perfectiones coarctare, ac horribili cæcitate arbitrari, quod Deus facere nequeat quod illa concipere nequaquam poteſt. Quamobrem jure S. Hilarius dicit, omne incredulitatis genus eſſe quamdam ſtultitiæ ſpeciem; quia vult omnia regere ſenſuum ſuorum lumine, & ſuarum opinionum imbecillitate, & quia ſibi perſuadet, quæcumque ipſa intelligere nequit, omnino fieri non poſſe. Quem ſermonem perſequens non ſine recto ſenſu, ac lumine addit, infidelitatis noſtræ cauſam ex noſtræ opinionis infirmitate eſſe deſumendam, cum aliquid non factum fuiſſe credit, eo quod nequaquam fieri potuiſſe arbitratur. S. Thomas non labitur ſolum in hoc vitium infidelibus omnibus familiariſſimum; non ſolum Dei potentiam atque ſapientiam metitur ex mentis ſuæ impotentia, atque ignorantia; verum etiam duas inſignes committit injuſtitias, quibus ſcelus ſuum ſit inexcuſabile. Prima eſt; quod impugnat veritatem verborum J. C. qui ſæpe de Reſurrectione locutus fuerat: cum enim illa ſpei noſtræ ſit baſis, ſæpe de eadem verba fecerat cum diſcipulis ſuis, ſemperque hujus myſterii gloriam, cum ſuæ mortis infamia conjunxerat, ut ſi altera ſpem illorum fregiſſet; altera confidentiam illorum excitaret. Itaque Thomas vel de potentia, vel de veritate J. C. dubitabat, & lædebat duplicem eam qualitatem, quibus noſtra fides roboratur. Si voluiſſet ille præterita cum futuris comparare, inde profecto hauſiſſet argumenta ex prioribus, & de futuris ſibi perſuaderet, cumque vidiſſet eas omnes accidere circumſtantias, quas J. C. de ſua morte prædixerat, de Reſurrectione ejuſdem dubitare non potuiſſet. Verum eſt facti magnitudinem, crucis ſcandalum, ſtuporem, quo correptus fuit, aliquam prætexere poſſe excuſationis ſpeciem Apoſtoli noſtri infidelitati, ejuſque Magiſtrum flectere, ut veniam ei largiretur; ſed alteram, quam commiſit injuſtitiam neque excuſari, neque propugnari poſſe. Ipſe unus Diſcipulorum omnium teſtimonium impugnat, negat quæcumque ab illis dicuntur, horribili incredulitate, vel non ferenda ſuperbia, ac mordicus in ſuo errore perſiſtens, malvult habere fidem mentis ſuæ dubitationibus, quam fratrum omnium unanimi, conflatæque ſententiæ. Infidelitas nunquam nocentior eſt, quam cum ſuperbe ſuam alienæ præfert ſententiæ; ac extrema vanitate ſibi perſuadet, ſe tantum cognoſcere veritatem. Hæc eſt Thomæ injuſtitia, qui credit Eccleſiam omnem aberrare, qui quadam tyrannidis ſpecie cogere vult fratres ſuos, ne credant quod ipſi viderunt, ut cæce credant, quod ipſe non vidit. Sed quantum pertinax fuit D. Thomæ infidelitas, tantum fides ejus fuit ardens; quippe hunc coegit patriam deſerere, ac Dei ſui nomen illuc perferre, quo nullius adhuc Imperatoris arma penetraverant. *Idem.*

D. Thomæ incredulitas nobis pertinaciam, & inſcitiam eorum, qui hoc ſæculo ſe Spiritus fortes jactitant.

Malle ſuis ſenſibus credere, quam verbo Dei; malle in facti alicujus veritate ſibimet confidere, quam plurimorum auctoritati, de bona quorum fide dubitandum non eſt; par huic viſa unquam eſt pertinacia! Talis erat Thomæ affectio, ac talis quorumdam, qui ſe ſpiritus fortes appellant, qui ſe putant pluribus donatos luminibus, quam quiſquam per ſeptemdecim ſæcula fuerit, & qui ſibi eas putant adeſſe cognitiones, quibus antiquitas caruit; qui neque Scripturis, neque Traditioni, neque Concillis, neque Patribus habent fidem; qui vellent ut omnia Religionis fundamenta in eorum gratiam effoderentur, & ad hoc ut libenter omnia crederent myſteria, exigerent, ut Salvator in terras iterum deſcenderet, iterumque crucifigeretur. Vellent ipſum ſuis oculis intueri, ſuiſque manibus ejus attrectare vulnera. *Abbas de Montmorel.*

Admirabilis Salvatoris miſericordia ergo infidelem hunc Apoſtolum.

Hujus Apoſtoli infidelitatem conſiderantes infinitam Domini miſericordiam veneremur, pro uno tantum facientis, quod pro omnibus fecit, & iterum ſua vulnera oſtendentis ad unicum ægrotum, qui in familia ſupererat curandum, & quoniam increduli hujus ſpiritus omnino carnalis erat, Salvator illum fidelem vult efficere per ſenſum, qui præ ceteris maxime pinguis eſt Thomas enim non ſolum videre quærit Domini ſui plagas, ſed inferre digitos ſuos in clavorum foramina, manumque ſuam in lateris hiatum. Jeſus Chriſtus diebus octo eidem apparere diſtulit, ut ardentius videndi ſui deſiderium excitaret, atque ut Apoſtolis ſuis totum hoc tempus permitteret, quo illum erudirent, atque ab errore poſſent revocare. Tandem vero illi coram ceteris Apoſtolis apparuit, ut illos iterum in Reſurrectionis fide confirmaret, ac infideli huic, qui obſtinatione ſua aliis attuleret ſcandalum, locum præberet publice criminis reparandi ſincera confeſſione veritatis, quam credere noluerat: quæ ſæcunda apparitio iiſdem cum circumſtantiis, ac prior facta eſt, ut infidelis hic videns quæ alii teſtati fuerant accidiſſe, tandem probatiſſimam hanc veritatem haberet. *Idem.*

Dei erga hunc Apoſtolum caritas docet qua ſuavitate excipiendi ſint a Miniſtris Domini peccatores ad pœnitentiam reverſi.

Deus unus ingratum, ac infidelem peccatorem revocare poteſt hac indulgentia, ut illi ſuas manus, latuſque præbeat attrectandum. Itaque dici poteſt, Thomam hæc audientem verba: *infer digitum tuum huc*, quæ fuit ſibi loco amantiſſimæ exprobrationis, illico ſcelus ſuum agnoviſſe, ac fuiſſe execratum. Deum ſuum agnoſcere, & infinitæ illius bonitati reſpondere unum fere, ac idem fuit; quamobrem nonnulli Patres arbitrati ſunt, illum nequaquam attigiſſe vulnera Salvatoris, vel ſi attigit illa, Salvatorem in cauſſa fuiſſe, ut attingeret. Miniſtri Domini, videntes hodie Deum ſe infidelis infirmitati ſubjicere, diſcite caritatem, qua peccatores a vobis excipiendi ſunt; ſufferte illum qui in fide infirmus eſt; nec ſinite homines erga homines eſſe, quam Deum ſeveriores. Debemus igitur, inquit Apoſtolus, nos, qui fortes ſumus, ferre

debi-

debilium infirmitatem. Notare verbum debemus; hoc debitum eſt, quia fortis per indulgentiam ſuam nihil amittit; infirmus vero perit niſi ſuſtineatur. Aſpera, atque inflexibilia nequaquam apta ſunt ad revocandos ſpiritus, qui errantes ſunt atque pertinaces. Ad eorum vulnera curanda, Evangelici Samaritani exemplo, oleum cum vino miſcendum eſt; hoc eſt, omnis adhibenda eſt ſuavitas, & unctio caritatis: noſmet inclinare oportet, ut eum, qui cecidit, relevemus; currere poſt ovem, quæ deerravit, eamque cum gaudio ſuis humeris imponere: tantum de jure noſtro remmittere, quantum fieri poteſt, cum videmus, aliquid cedendo, animam Jeſu Chriſto lucraturos nos eſſe; hic enim ſcopus eſt, hic miniſterii noſtri finis. Ad hoc enim miſſi fuimus a Dei Filio, quemadmodum & ille miſſus fuit a Patre. Parthi, Medi, Indi nunquam fortaſſe fidem recepiſſent, niſi Dei Filius per caritatis exceſſum, ſemet Apoſtoli ſui infirmitati ſubmiſiſſet. *Idem.*

Plures connotare poſſumus circumſtantias infidelitatis S. Thomæ, quæ illam non mediocriter augent, & quæ nos erudire utiliter poſſunt, quarum potiſſima, ex Patrum ſententia, fons etiam ceterarum fuit; illum cum Apoſtolis aliis non adfuiſſe, quando illis Salvator apparuit: *Thomas autem non erat cum eis, quando venit Jeſus.* (*Joann.* 20.) Apoſtoli erant figura Eccleſiæ. Thomas aberat, particeps ergo non erit gratiæ, quam Salvator illis facturus eſt; quamobrem S. Bernardus hunc alloquens incredulum ait; Falleris, Thoma, falleris, ſi ſperas te Dominum viſurum eſſe, cum ab Apoſtolorum ſocietate abſis. Veritas ſocietatem diligit, & odit ſingularitatem. Illa ſedet in medio, hoc eſt, vitam communem amat, communem regulam, uniformem vitæ rationem. Et profecto credere cum multis, vulgatiſſimis Eccleſiæ ſententiis hærere, nunquam ab illis recedere, quibuſcum nos. Providentia conjunxit; hæ opiniones ſunt nunquam ſatis iterandæ. *Idem.*

Animadvertendum eſt præterea hanc infidelitatem non ſpectare ad aliquem fidei articulum peculiariter, veluti cum de aliqua re aliquis dubitat, paratus, ſi in illa eidem ceſſeris, reliquis omnibus ſubſcribendo; ſed D. Thomas fuit infidelis in re, quæ Religionis fundamentum eſt, & in ea quam ipſe J. C. adduxerat tanquam certiſſimum reliquarum argumentum, hoc eſt in fide Reſurrectionis; ideoque idem erat, ei dicere illum nequaquam eſſe Dei Filium, qualem ſe eſſe dixerat. Itaque quod Salvatoris inimici inutili conatu, per invidiam, & odium diruere conati ſunt, prope fuit, ut Apoſtolus per infidelitatem aſſequeretur; quantum enim in ipſo fuit, hujus Reſurrectionis gloriam evertit; Judæorum calumnias ſua auctoritate confirmat; negat id, quod Cœlum, quod terra, quod Angeli, homineſque evulgaverant: & non ſolum abrenunciat ſpei gloriæ, quam hæc una reſurrectio probare poterat; ſed ſine peculiari Dei providentia eſſe potuiſſet in cauſſa, ne quis deinceps crederet, quod unus ex Apoſtolis pertinaciter in dubium vocaſſet, atque negaſſet. Nonne hoc factum eſt contumelioſiſſimum, quod Filio Dei fieri potuerit ab eo, quo ipſe familiariſſime utebatur, & tam prope ad eum pertinebat? Itaque ſola vulnerum illius virtus talem curare potuit infidelitatem; itaut ſi D. Thomæ pertinacia graviſſima fuit, confitendum ſit, divini hujus hominis miſericordiam, nuſquam melius enituiſſe quam hoc Apoſtolo, quandoquidem eum perſuadere dignatur iiſdem argumentis, quæ illi placent, ejuſque indulget voluntati, ut deinceps illum arctiſſime ſibi conjungat, eique in ſuis plagis oſtendat fidei theſaurum, quem per incredulitatem ſuam miſere adeo perdiderat. *Auctor Sermonum in varia argumenta.*

Generoſi S. Thomæ ſenſus ad aſpectum vulnerum ſui Salvatoris.

Nullus dubito quominus tunc recordatus fuerit eorum, quæ ipſe olim dixerat, ac ea ſenſu longe magis generoſo repetierit, quam primum: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Nunc prorſus vita indignus ero, niſi illam effudero propter Deum qui dignatur ſuæ mortis mihi merita applicare; Oſtendit ille mihi ſuum cor per vulnus illud, quod propter amorem meum paſſus eſt: opus eſt ut meum illi oſtendam per ea, quæ propter illum recipere volo; nimis beatus, ſi me dignum judicaverit, qui propter amorem ſuum patiar id, quod ipſe paſſus eſt, ut ipſe meum mereretur, & toto cælo beatior, ſi vulnus ſimile poſſet oſtendere eidem, me factum fuiſſe fidelem uſque ad mortem; *Eamus, & nos, & moriamur cum eo.* Vota illius exaudita fuerunt, quamobrem non morabor iſtic in iis, quæ cum aliis diſcipulis paſſus eſt; dicam ſolum, ſicut ille pertinaciſſimus fuit, qui ſeſe victum daret, ac omnium poſtremus in Domini, Deique ſui Reſurrectione neganda; ita inter primos fuiſſe, qui illam prædicaverit; & quemadmodum metus effecerat, ut longius aufugeret, ac diutius deliteſceret, modo morti, omnibuſque ſuppliciis occurriſſe. Verbum tantummodo afferam extremi ejus ſupplicii ea in urbe quæ olim Calamina, modo Meliapur appellatur. Ibi ut mortem ſuam Salvatoris ſui morti quam ſimillimam redderet, amor patiendi, ut ille fuerat paſſus a ſpiritus tranſitu in corpus; non potuit vivere ſine vulnere, poſtquam vidit corpus Dei ſui vulneribus perforatum; neque effectus glorioſior fuit cauſſa; cum enim facere non poſſet quominus Salvatorem ſuum prædicaret; cumque ejus fortitudo novas ſemper vires reciperet ex edictis, quibus prohibebatur populis hanc annunciare legem, & ex obicibus, qui conſiliis ejus offerebantur; infideles illum perſecuti ſunt, atque confoderunt ſagittis, quæ illum vulneribus confecerunt, eique cor aperuerunt, quemadmodum Salvatoris ſui cor lancea fuerat tranſverberatum. *Idem.*

PRO S. STEPHANI PANEGYRICO.

MONITUM.

PEramplum, ac magnificentiſſimum elogium, quo Spiritus Sanctus D. Stephanum celebrare dignatus eſt, Martyrem hunc in Eccleſia adeo glorioſum effecit, atque tot Sancti Patres, ſummique Oratores tantam in lucem protulerunt virtutes, prælia, & præclara geſta illius, ut argumentum hoc pertractaturis non defutura ſit uberrima rerum ſupellex ad texendam orationem Panegyricam æque ad animos erudiendos, ac ad eloquentiam oſtendendam appoſitam. Quamobrem tota Concionatoris cura in eo ſita erit; ut illud ſibi eligat argumentum, quod ea complectatur, quæ proprium Sancti hujus characterem conſtituunt; quod nempe primus omnium pro Jeſu Chriſto ſanguinem fuderit, quod acriter Salvatoris divinitatem propugnarit adverſus ſectas omnes ad illius cultum, memoriamque delendam conjuratas; quod injurias dimiſerit, & ad Divini ſui perceptoris exemplum pro ſuis perſecutoribus oraverit.

Illud vero in Sancti hujus Martyris laudibus Oratoribus haud mediocrem laboris auferet partem; quia quidquid magnificentius de Sancto hoc Martyre dici poteſt, Scripturarum teſtimonio utitur, quin opus ſit invenire, addere, conjecturas afferre ad eas amplificandas, exornandaſque actiones, quæ per ſe nitent, quin alii accedant ornatus, quam elegans circumſtantiarum explanatio. Morum diſciplina, quæ inde hauriri poteſt, naturalis eſt, & ad praxim nobiliſſimarum Chriſtianiſmi virtutum adducit.

Illud fortaſſe objicit quidam, quod in collectione hac eorum, quæ ad Magni hujus Martyris elogium concinnandum conferre aliquid poſſunt, eadem facta, eædemque ſententiæ aliis ſubinde repetitæ verbis, ſine ullo ordine, ac ſerie repetantur: ſed meminerit, quæſo, a me ſuppeditari rerum copiam ad Sermones ipſos elaborandos, non autem Sermones ipſos elaboratos; atque illius eſſe, qui his collectaneis uti voluerit, eligere, in ordine congerere, ac diſtribuere juxta illam Orationis ſtructuram, quam ipſe ſibi propoſuerit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Sermonum hujus Argumenti Structuræ.

Stephanus plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia, & ſigna magna in populo. Act. c. 6.

I. HÆc eſt idea, quam Spiritus Sanctus nobis aſtruit, de Protomartyre S. Stephano. Plenus eſt gratia, ſimulque plenus fortitudine. Plenus gratia in miniſterii ſui munere obeundo; fortitudine in martyrio ſuſtinendo. Duplex hæc plenitudo, quam ego intueor tanquam characterem, quo ab aliis ſecernitur, totum illius coram Deo, & coram hominibus debitum conſtituit. Hæc plenitudo gratiæ quæ vitam ejus ſanctificavit, & hæc plenitudo fortudinis, quæ mortem illius coronavit: plenitudo gratiæ quæ omnem illius vitæ curſum adeo irreprenſibilem, atque ædificantem conſtituit, & plenitudo fortitudinis, quæ illius patientiam, & caritatem ad perfectionis apicem adduxit; plenitudo gratiæ propter quam perfectus fuit Eccleſiæ J. C. miniſter, & plenitudo fortitudinis, propter quam non ſolum primus fuit, ſed etiam in paucis ferventiſſimus J. C. Martyr. Hæc eſt æquiſſima diviſio, quam in hoc ſermone mihi proponere valeam, palam textus mei verbis expreſſa, in illis comprehenſa: Stehanus plenus gratia, & fortitudine.

Pars prior. Stephanus plenus gratia in munere ſui miniſterii obeundo. Diaconus erat, immo princeps inter Eccleſiæ Diaconos. Ampliſſima quidem provincia, quæ tamen duo ab illo exigebat, alterum ut adminiſtraret Eccleſiæ bona, quorum ex

officio erat diſpenſator; alterum ut regeret viduas, quæ mundo nuntium mittentes, in cælibatus ſtatu Deo ſe devovebant. Munera, in quibus ſanctitas ipſa ſua nanciſcebatur pericula; ſed in quibus voluit Deus, S. Stephanum probitate, ac ſapientia ſua omnibus futuris ſæculis pro exemplo affulgere.

1. Tanquam Eccleſiaſticorum bonorum promovendo Stephano reddenda erat vitæ ſuæ ratio cum Deo, tum hominibus: primum virtutis ejuſdem argumentum, ubi ejus eluxit probitas, & omnis gratia qua fuit repletus. Quid enim hoc in miniſterio difficilius eſt, quam coram Deo perfectæ integritatis meritum obtinere, omnemque ejuſdem exiſtimationem coram hominibus poſſidere? Tale fuit duplex hoc S. Stephani meritum, optandumque eſſet, ut hiſce diebus Eccleſiaſtica bona ſimiliter diſpenſarentur.

2. Tanquam rectori viduarum, quæ a mundo ſejunctæ vivebant, Stephano earum cura erat demandata. Alterum ſatis periculoſum argumentum. Quibus enim periculis, dicteriis, ſuſpicionibus minime patet, cui hoc in munere ſæpe cum mulieribus loquendum, agendumque eſt? Quanti hoc ſtetit S. Hieronymo? Sed de S. Stephano nonne ſemper cum laudibus verba fiunt? probitas tantum, & perſpecta probitas ſuperior eſt his mundi judiciis; & hic fructus eſt gratiæ, cujus plenitudinem S. Stephanus habuit. Vehementer erramus, ſi in ſæculo præſertim quale hoc eſt, mundi improbitatem conamur effugere alia via quam conſtantis, exactæque diſciplinæ. Probitati huic juncta erat prorſus divina ſapientia. Qua de re ut nobis perſuaſum ſit, ſatis eſt legere pulcherrimum ſermonem illum, quem habuit apud Judæos; & ea, quæ his dicebat quot Chriſtianis hodierna die dici poſſent: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus: vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis.*

Pars altera. Stephanus plenus fortitudine in martyrii ſui conſummatione. Duobus in miraculis hæc illius enituit fortitudo. Miraculum patientiæ in omnibus mortis ſuæ circumſtantiis; miraculum caritatis erga ſuæ mortis auctores. 1. Miraculum patientiæ in omnibus mortis ſuæ circumſtantiis; hic enim primus fuit Martyr, cujus exemplum tot alios confirmavit, ſed illos præcedens tanquam caput eorum majori fortitudine indigebat. Paſſus eſt ex omni martyriorum genere crudeliſſimum, atque inter ſua tormenta animæ ſuæ pacem, ac tranquillitatem ſervavit. Nos vero quid pati volumus? S. Stephanus triumphum egit de cruciatibus, & de morte, nos vero quotidie mollitiæ, ac vitæ commodis vincimur. 2. Miraculum caritatis erga ſuæ mortis auctores. Illis non pepercit ſolum, ſed pro iiſdem oravit, idque enixius, quam pro ſe: nam pro ſe preces fundens ſtabat, ſed pro tortoribus ſuis deprecans genua flexit. In hujuſmodi caritate quæ fortitudo? Deus illum exaudivit ita ut inde ſecuta fuerit S. Pauli converſio. Unum ex certiſſimis beatæ prædeſtinationis noſtræ ſignis, caritas eſt erga inimicos. Parcamus, & Deus nobis parcet.

II. Extra omnem dubitationis aleam ſitum eſt, caritate ſanctos fieri; illa enim principium eſt meritorum, virtutum reliquarum corona, & gloriæ menſura eo uſque, ut ipſa præſtantiſſima Seraphim, quæ propius ad Dei thronum accedunt, eadem puriſſimis amoris flammis exæſtuent. Ut ſuper hoc fundamento conſtituamus S. Stephani elogium, ſumendi ſunt tres radii divinæ hujus caritatis, qua cor illius conflagravit, dicendumque: 1. Ipſum habuiſſe quidquid in caritate ardentiſſimum eſt, videlicet zelum, qui illum Apoſtolum effecit, licet caruerit nomine, quippe ex primis fuit qui Evangelium, & Salvatoris Doctrinam prædicarent: 2. Ipſum id feciſſe, quod in caritate maximum eſt, dediſſe videlicet primum omnium vitam & ſanguinem pro amore Dei ſui, juxta illud Magiſtri ſui Verbum: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* (*Joann.* 15.) 3. Denique illum adimpleviſſe quidquid hac in caritate difficillimum; videlicet amorem inimicorum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

III. Septem Diaconi, qui ab Apoſtolis conſtituti ſunt eodem anno, ut perhibetur, qua Jeſus Chriſtus in Cælum aſcendit, omnes repleti erant Spiritu Sancto, pleni fide, ac ſapientia: ſed hæc plenitudo Spiritus Sancti, fidei, gratiæ, & fortitudinis præſertim S. Stephano tribuitur, quem Scriptura eorum principem nominat: ita erat vere primus ordine, merito, & gratia; & eminenter glorioſas haſce qualitates poſſedit.

I. Contemnens mortem invicta conſtantia.

II. Mortem ſubiens patientia admirabili.

III. Parcens lenitate, quæ præter Jeſu Chriſti mortem carebat exemplo.

Dici poteſt ad Martyris fortitudinem pertinere, occurrere morti, illam animo prævertere, atque omnes illius teterrimos apparatus contemplari, ut non deterreatur, cum propior illa ſe offert, jacula enim quæ prævidentur, minus feriunt; natura objecto huic aſſueſcit. Hæc eſt S. Ambroſii ſententia: *Fortitudo vim quamdam ferocemque virtutem habet, mortem contemnere*, Mortem contemnit, quia occurrit illi, ne illam non niſi Chriſtianis oculis intueretur, qui illam amabilem potius, quam terribilem reddunt. Ita effectus erat S. Stephanus. Generoſus hic Diaconus terreri ſtatim poterat a commota plebe lapidibus, ſilicibuſque armata. Triſte Dominicæ mortis ſpectaculum ob oculos illius verſabatur; ſtadium, quod ingrediebatur, nondum erat tritum hac innumerabili Martyrum turba, quæ viam hanc facilem, & glorioſam effecerunt. Hæ omnes ſimul circumſtantiæ terrere poterant Diaconum hunc; quemadmodum J. C.; & S. Petrus Vicarius ejuſdem fuere perterriti; Sed S. Stephanus ſeſe in ſpiritu offert morti, antequam hæc illi occurrat; eamque iis omnibus exuit, quæ naturæ poſſunt inferre terrorem. Cum mors illi non appareret niſi tamquam via quæ ducit in Cælum, & tanquam clavis, quæ illud aperire debet; non ſolum contempſit illam, verum etiam toto pectore concupivit. Hic primus eſt effectus, quem in hoc S. Levita gignebat hæc gratiæ eminentia, qua præ ceteris fuerat donatus.

2. Verum ſiquidem eſt inter theoriam, ac praxim plurimum intereſſe. Cum hæc ſit difficilis, vulgo uſuvenit, ut in ea deficiamus, & actiones noſtræ noſtris cogitationibus nequaquam reſpondent, & inde in adagium abiit; quod *Omnis ſapiens ſemper laborat faſtidio ſui*, (*Seneca.*) quia actiones illius cogitationum æquitatem minime exæquant. Ita mortem contemnere cum eminus proſpicitur eamque ſubire ſtrenue, cum prope eſt, duo ſunt longe diverſa. Hæc duo tamen S. Stephanus admirabili fœdere conſociavit; mortem contempſit illam eminus proſpiciens, eamque pertulit cum patientia, cum ad illam propius acceſſit. Itaque nec omnium Judæorum minæ, neque commotæ plebis concurſus, nec furor, quem præ ſe ferebant contra Stephanum diſputantes, nec rabies, quam evomuerant in J. C., exemplum illius, quod in ejus membra erant exercituri illum perterrent. Fruſtra dentibus infrendent in illum, fruſtra cum Proſelytis armatur Synagoga; S. Stephanus veluti rupes immota ſtat; non quod ſenſu careat, ſed per effectum heroicæ illius patientiæ, quæ probari meretur, cujus probationes ſuſtinentur ea ſpe, quæ nunquam confunditur, quia *Caritas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* (*Jacob.* 1. *Rom.* 5.)

3. Dici poteſt, S. Stephanum novam ſtraviſſe viam pro carnificibus orando. Illi Homo Deus præceſſerat; ſed poſtea nullus homo hoc illi exemplum præbuerat: illi igitur oſtendit, hominem generoſis hiſce conatibus eſſe parem, per effectum gratiæ, quæ illum ſupra naturæ ſenſus attollit. Oſtendit Talionis legem antiquatam fuiſſe, & quin dandus eſſet oculus pro oculo, e contra pro inimicis ſuis eſſe deprecandum, ac benefaciendum illis qui nos perſequuntur, ut ſimus filii Patris Cæleſtis, qui oriri facit Solem ſuum ſuper bonos, & malos. Admoveamus ergo prototypo exemplum, & poſtquam viderimus Evangelium in praxim redactum a S. Stephano, antequam illud aliquis homo merus redegiſſet cum hac circumſtantià veniæ ſuis conceſſæ inimicis, atque tortoribus, audiamus J. C. in cruce dicentem: *Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt*; (*Luc.* 28.) & audiamus S. Stephanum qui lapidum grandine obrutus Æterno Patri ait: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* (*Act.* 7.) In Magiſtro æque ac in diſcipulo eadem verba ſunt, ſenſus idem, idem amor, eademque caritas, quæ mortem condonat.

Argumentum hoc aliter efferri poteſt, quod præſtitit Biroat. IV.

1. S. Stephanus mortem contemnit, ut Jeſus Chriſtus.

2. Eam ſuſtinet, ut J. C.

3. Eam condonat ut J. C.. Contemptus hic effectus eſt omnipotentis gratiæ J. C. patientiam hanc ſuſtinet J. C., qui a S. Paulo Deus patientiæ vocatur: *Deus autem ſolatii*: (*Ad Rom.* 8.) & hæc venia inimicis conceſſa habet pro principio recens Jeſu Chriſti exemplum qui de cruce pro Judæis preces effuderat.

Conſiderari poteſt quo pacto S. Stephanus inimicos ſuos V.
dilexerit, & videmus.

1. Illum ardenti flagraſſe cupiditate ſalutis ſuorum inimicorum, & converſionis illorum tunc temporis cum illi in eum majori furore ſæviebant.

2. Condonaſſe illis omnium injuriarum maximam, qualis eſt mors ſibi illata.

Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus eſt, quia VI.
eſt triumphus. Juxta principium hoc dicere poſſumus.

1. S. Stephanum egiſſe triumphum de fallaci eo zelo, quo contra J. C. erant inflammati. Hic primus eſt effectus gratiæ, & fortitudinis Sancti hujus Diaconi, ejuſque primus triumphus.

2. Triumphum egiſſe de calumniis eorum, a quibus accuſabatur coram Judicibus Synagogæ.

Hic ſecundus eſt effectus gratiæ, & fortitudinis S. Stephani, & ſecundus ejuſdem triumphus.

3. Triumphum egiſſe de furore inimicorum ſuorum caritatis exceſſu; qui tertius eſt effectus gratiæ S. Stephani, tertius effectus hujus fortitudinis, quæ præcipuus eſt ejus character. *P. Dexier.*

Oculos circumferamus per eximias S. Stephani virtutes in
illo admiraturi. VII.

1. Levitam caritate plenum, mira œconomia Fidelium eleemoſynam largientem cum mortalium omnium ædificatione; ita ut nemo Chriſticola paupertatem patiatur.

2. Illuminatum Orientis Eccleſiæ Doctorem, quo nomine a S. Hieronymo appellatur, qui veritatis inimicos confundit, eamque in lucem ſuam novit adducere.

3. Invictum Martyrem, qui vidit omnes Judæorum Synagogas, ipſumque infernum contra ſe furentes, quin ob eorum furorem afficiatur non niſi caritatis ſenſu pro inimicorum ſuorum ſalute.

Judæi æque & Jeſu Chriſti divinitatem, & Meſſiæ quali- VIII.
tatem,